CHRISTIANORUM REIPUBLICAE VENETAE

CIVIUM ET AMICORUM,

Ad

ANTICHRISTIANAM CARDINALIS BARONII

Paraneſin,

RESPONSIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

M D C VII.

PROVERB. XXVI.

Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.

CHRISTIANORUM REIPUBLICÆ VENETÆ CIVIUM ET AMICORUM, ad Antichriſtianam Cardinalis Baronii Paræneſin,

RESPONSIO.

QUAM in veſtibulo Paræneſeos tuæ, non ſinè dolore, aut potiùs non ſinè Scenico quodam embolio, negâſti nobis Salutem, BARONI; eam nos interim cœlitus oblatam, te ſive ringente, ſive ridente, ſummâ cum lætitiâ ſuſcepimus, & in intima pectorum adyta ac penetralia admiſimus: poſteaquam tandem aliquando intelligere cœpimus, quantum diſtet, Filii Dei ſanguine credentibus parta ſalus, ab illo ſalutis ſpectro, quod perditionis Filius, faſcino ſuo excæcatis, precio addicit; hilum non diſcrepans à ſalute illâ, quam majores tui, veteris Romæ idololatræ, in æde à C. Jun. Bubulco conditâ, & à Fabio Pictore depictâ, olim colebant: cujus ſacrum, quod Salutis augurium vocabant, tam operoſis circumfluebat ritibus: ut nòn minùs difficile eſſet priſcis illis Pontificibus, ſatis auſpicatam diem, ei ad legum præ- *Dio lib. 37.*

ſcriptum celebrando, invenire; quàm hodierno Pontifici, non niſi commodis ſuis velificanti, idoneam celebrando concilio tempeſtatem nanciſci. Igitur quemadmodum ſacerrimi Domini tui ſalute non ægrè caremus; ſic inſidioſas Paraſitorum ipſiius ſalutationes inſuper habemus. Scimus Vejovem tuum nocendi vim magnam, (eſt enim Abbadon) poteſtatem juvandi habere nullam; ſed fatuos ignes, & bruta Salmonei hujus fulmina, extimeſcant Americani, & ſi qua eſt gens *extra anni ſoliſq; vias*: nos per Dei gratiam, Apollinis illius Tortoris, terriculamenta & Claudiana tonitrua, agnoſcere ſimul & contemnere didicimus. Videmus, ridemuſque inepta Epiſtolæ tuæ μορμολύκεια: quibus non tam nobis minaris, quàm hero tuo palparis. Nempe, ut Principes noſtros ſcurræ & moriones; ut olim Herculem Cercopes, Bacchum Sileni, Corybantes Jovem: ſic Cardinales Papam oblectare conſueverunt. Hunc ergo blanditiarum & ſalutationum tuarum poppyſmo permulce; ille tibi viciſſim beatiſſimo ſuo ſandalio commitiget caput. Non minùs jucundum hoc fuerit ſpectaculum; quàm horrendum eſt acroama illud, phreneticæ magis, quàm parænetica tuę Epiſtolæ, quâ ſacroſancta Verbi divini oracula tam indignis modis conſpurcas,

Suet. in Aug.

Conta-

——— *Contactuq; omnia fœdas*
Immundo:
dum, quibus olim præfractos, & contumaces Iſraëlitas, Spiritus Sanctus perculit minis; tu plenis virulentiſſimæ maledicentiæ velis, ac veluti falcatis curribus invectus, nos adoriris: idq; hanc unam ob cauſſam, quòd avariſſimæ Pontificis tui ambitioni, & ambitioſiſſimæ avaritiæ, in cujus voraginem tot jam Curtii, omnigenarũ gentium ſpoliis onuſti, inſiluerunt, nec tamen explere potuerunt; in Rep. noſtrâ metas quaſdam ponere, & ſaluberrimarum legum veluti molem quandam, obicemque objicere auſi ſumus. Hæc tibi plùs quàm gigantea videtur audacia:
——— *hinc nos oppedere Cœlo*
Credis, & in divos redivivam attollere Phlegrã.
ſcilicet, quia una eademque Omnipotentis Dei, & Vaticani tui Jovis eſt majeſtas: communis, ut Caſtoris & Pollucis, ædes; ara, thenſæ, pulvinar, omnia eadẽ utriq;. Quanquam iſte tuus Latialis Jupiter, hanc æqualitatem pertæſus, & conſortis impatiens, ut olim Julius obnunciantem collegam Bibulum foro armis expulit; ita Deum de Eccleſiæ & Templi ſui poſſeſſione, præſtigiis ſuis dejicere jãpridem molitur: nec aliud ſpirant, crepantque fulminei illi anathematiſmi, quos coruſcat iſte τερπικέραυνος; quàm quod cum Jo- *Suet. in Caſ.*

ve jurgans fremebat Caligula, qui & Pontifex Max. fuit, & primus Romæ divinam ſibi majeſtatem aſſeruit: Suet. in Calig.

ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγώ σε.

Scilicet ut ſolus vacuâ dominetur in aulâ,

& exturbato Polluce, tantũ Caſtoris vocetur templũ. Hujus Dioſcuri, non ille, quẽ adducis, Jeremiæ equus, animo tuo obverſabatur, Baroni; imò calcibus cerebrum excutiebat tibi, cùm civitatem noſtram, excuſſo Babylonis jugo, liberali cauſsâ, adſeri manu, & natalibus reſtitui, indignatus; illuſtriſſimo Senatui noſtro, effuſis omnibus petulantiæ habenis, inequitares, infeſtâq; haſtâ in sereniſſimũ hujus Reip. Principem irrueres: perinde ac ſi Sanctiſſimus Vates, hoc ex compacto amentiæ tuæ amentâſſet telum; quod cum furente Saule, in immerentem Davidem intorqueres. Eſt ſanè etiam lippis & tonſoribus notum, nullum Romæ S. Scripturæ uſum eſſe; niſi inter ſcommata & dicteria: nullam Chriſti mentionem; niſi inter blaſphemias: locum ei nullum; niſi in hiſtrionico illo dramate, quod vel in quotidianâ Miſsâ agitur, ubi ille ad magicum Sacrificuli murmur, inſtar Jovis Elicii, ſiſtere ſe cogitur; & ſacra ipſius Cœna, in profanam ac turpiſſimã Scenam transformatur: vel in anniverſario illo ludicro, quo res maximè ſeria, ipſius ſcilicet Chriſti,

Chriſti, cum morte & inferorũ poteſtatibus colluctantis, agon, mimicis geſticulationib⁹, rituq́; prorſus thymelico, in templo, tanquã in Theatro exhibitus, popelli ſannis & ludibriis objicitur. Et cùm vix ullus iſthîc Monachus tam ſit bliteus, tam obeſæ naris, qui te nugari & ludere non videat; *Vide Vivem in Aug. De civit. l. 8. c. 27.*

——licèt tibi plurima manet
Lacryma, per ſanctum dicas juratus Oſirin,
Credite, non ludo:

tam fungos tamen nos eſſe vis, ut tribunitios tuos clamores, & tragicas vociferationes, à zelo domus Dei proficiſci credamus; cùm neq; ipſe agnoſcas, neq; in ventoſiſſimis illis tuorũ annaliũm utribus aliud condas, orbiq́; terrarũ colendum promas & obtrudas numen, quàm Lupercũ illum τρικάρηνον: ut Hypſæâ cæcior ſit, qui nõ videt, hunc tibi ſuſcepti operis ſcopum ac finem ἀρχιτεκονικώτατον fuiſſe. Nam & primarium vineæ Dominum indigetas Papã, (ut deinceps Chriſtus nõ imperii gloriã; ſed miniſterii pattes ſibi relictas eſſe meminerit:) & absq; ſtercorariæ hujus ſedis obedientiâ, *nec fidẽ, nec bona opera prodeſſe*, ſcribis: nullamq́; impietatẽ aut perfidiam in Deum, cuiquam in obſequio Papæ perſtãti, obſtitiſſe, quo minùs feliciter regnârit, ac triũphârit; doces, prolatis exemplis Arianorũ Principũ, Theodorici & Alarici; quos *Tom. 9. ann. 745. §. 48.* *Tom. 10. ad an. 849. §. 17. ad marg.* *Tom. 6. ann. 504. §. 1. & an. 506. §. 12.*

proſpertrimâ uſos fortunâ ais, quamdiu Papæ jura intacta reliquerunt: unde liquidò demonſtras, longè atrocius piaculum eſſe, illũ Diaboli primogenitum tangere; quàm unctum Domini, æternum æterni Dei filium abnegare. Quid amplius? remotis fucis, ſtrophisque, apertè adfirmas: *ex arbitrio Romani Pontificis pependiſſe, fidei decreta ſancire, & ſancita mutare.* Euge, placet omen, quòd *pependiſſe* dicis; non *pendere*. Etenim ſperamus fore dehinc, ut ipſemet potiùs Pontifex ad põtem Ælium ex infelici arbore pẽdeat; quàm ut ſacroſanctæ leges fidei, ex ipſius arbitrio figendæ ac refigendæ, ampliùs pendeant. Quamobrem ſedulò annitemur, ut omnia Apoſtolatus illius, quem majore ſupercilio, an mendacio, apud nos obiiſſe te jactas; urbi, imperioq; noſtro impreſſa veſtigia, penitus aboleantur. Neque verò auſpicatiùs inchoari poterat pulcherrimum hoc opus; quàm cùm ejusmodi Senatusconſulto, cui nullus omnino interceſſit Tribunus, morámve interpoſuit, hoc novæ & maleficæ ſuperſtitionis hominum genus, id eſt, ſodales & coapoſtolos tuos, ex luſtris ſuis protractos, hinc faceſſere juſſimus: rati cum Teleſino, *nunquam defuturos raptores Italicæ*, & quod longè pluris eſt, Chriſtianæ *libertatis lupos*; *niſi ſilva, in quam refugere ſolent, eſſet exciſa.* Ecquæ fœdior

Verba Baronii tom. 4. ann. 373. §. 21

Vell. l. 2.

dior Chriſtianæ Reipublicæ labes, tabésve magis exitialis Eccleſiæ obrepere queat: quàm verbi divini præcones tam impuri atque arrogantes, ut ipſum quoque Chriſtiani cognomentum ſuperbo faſtidio reſpuant, & Crœſiani, aut Craſſiani eſſe, quàm Chriſtiani dici malint; in ſanctiſſimoque Jeſu nomine, omnium ſcelerum & flagitiorum latebrã quærant? Audi, Baroni, audi Ignatium: non militem illum veteranum, ſeu potiùs veteratorem, familiæ veſtræ conditorem; ſed ſanctiſſimum Chriſti martyrem, illiusque Eccleſiæ, in quâ diſcipuli Chriſti primùm nominati fuêre Chriſtiani, digniſſimum Antiſtitem, in hunc modum ad Magneſianos de appellatione Chriſtianorum ſcribentẽ: *Simus itaq; digni cognomento, quod accepimus. Qui enim alio nomine appellatur, præter hoc*, HIC NON EST DEI. &c. Neque verò ſinè ſingulari quadam Dei providentiâ factum eſt, ut hoc Ignatii, nõ Loyolæ, teſtimonium annalibus tuis inſereres: nempe ut, quẽadmodum ſervus ille nequam, ex ore tuo judicareris; & non ſolùm indignus Apoſtolatu, verùm etiam à Deo & Chriſto ejus alienus eſſe pronunciareris. Sic & alibi hereticos tute appellas, qui Jeſum à Chriſto dividunt: atq; hanc eſſe *conciſionem* illam à Paulo damnatam, affirmas. Agè verò, ex ipsâ re potiùs,

Act. 11. v. 26

Epiſt. 6.

tom. 1. ann. 45. §. 11.

Luc. 19. v. 22.

Ann. 60. §. 9.

Phil. 2.

quàm ex nomine, judicium de tuo Apoſtolatu, eoq; quod coapoſtoli tui prædicare conſueverunt, Evangelio, faciamus, & in rem præſentem veniamus. Docet ſocius tuus Mariana; jus faſque eſſe ſubditis, Reges, Principeſque, quibus Viri graves & eruditi, id eſt, ſocii tui, hæreſeos crimen impegerint, quacunque ratione è medio tollere: præſcribit etiam, quomodo conficiendum ſit venenum; quomodo veſtibus, chirothecis, gladiorum capulis, aut etiam ephippiis illinendum: ut non minùs præſens præcepſque exitium ſequatur, quàm ſi ferro urgerentur. *Quid intereſt* (inquit triveneficus ille) *ferro, aut veneno perimas; cùm conceſſa ſit dolo & fraude agendi facultas?* Alius, *Diligentiſſimè*, inquit, *informandi ſunt Catholici; ut oblatâ cædis occaſione, nullo dubio, aut impedimento, ſe dimoveri patiantur.* Memoriâ tenes, qui Romæ plauſus excitati, qui pæanes cantati fuerint; cùm Chriſtianiſſimi Regis, Dominicani, imò Dæmoniaci Monachi venenatâ ſicâ ex inſidiis obtruncati, cæde nuncius allatus eſſet; & cujuſmodi oratione parentaverit ipſi Sixtus V. in purpuratorum Senatu: quâ facinus horrendum, immane, atrox, in cœlum, aut etiam ſupra cœlum laudibus effert; omnibus heroum, ab omni ævo, rebus præclarè geſtis præfert; tan-

Mar. de Rege l. 1. c. 7.

Ieſuita Creſwvick in ſuo philoſ.

Orat. Sixti V. in Conſiſt. Patrum. 2. Sept. 1589.

undemque (proh ſcelus, cujus ipſum etiam mendacii & homicidii patrem ſuppudeat!) cum adorando incarnationis myſterio confert. Verùm enimverò, quaſi nefas eſſet, ejusmodi parricidia, aliâ quàm Jeſuitæ manu patrari; paulò pòſt ſubmiſſus eſt de veſtrâ Stoâ, qui ejusdem colubri veneno imbutus, ſucceſſoris ipſius (quem tu *impium Benadad* petulanter appellas) ſacrum caput infeſtâ ſicâ peteret, ac præreptam familiæ veſtræ adoream vindicaret. Quid iidem Ætnæi fratres nuper in Britanniâ tentârint; quomodo inauditâ ab omnibus retro-actis ſeculis immanitate, machinamento plusquàm tartareo, ſuffoſſo Auguſtali, florentiſſimum regnum, cum Rege, regiâque ſtirpe, exſtirpare atque delere aggreſſi fuerint, jam ferè lapides clamant. Ecquis, cui vel mica pietatis, aut ſaltem humanitatis, in pectore ſupereſt, non videat; rectiùs hîc uſurpari illam, quâ tu nefariè abuteris, Jeremiæ exclamationem: *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer!* Aut quis ampliùs dubitet, inferorum portas eſſe, in quibus teterrima hæc, & planè diabolica conſilia coquuntur; non autem, ut tu impiè adfirmas, regnum cœlorum? Magis appoſitè Thomæ Cantuarienſis patrocinium advocas; ſeditioſus ſeditioſi:

Ann. tom. 1. in epiſt. ad Panig.

qui Chriſto injuriam fieri clamitabat, ſi Rex Angliæ, Henricus II. gladium à Deo acceptum geſtare, & in quosvis ditionis ſuæ ſontes, ſive illi comati eſſent, ſive raſi; & non tam chriſmate, quàm crimine delibuti; ſtringere pergeret. Hujus turbulenti Sacerdotis juſtiſſimum ſupplicium (quod tu martyrium appellare mavis) in pari cauſsâ tibi quoque eſſet exſpectandum: ſi tam conſuevisſent Cardinales, piaculari ſanguine Juſtitiæ litare; quàm innoxium piorum ſanguinem Romano Molocho adolere: & niſi magis decere te exiſtimares, cum Antichriſto, Cæſares calcante, ſedere judicantem; quàm cum Apoſtolo, ad tribunal Cæſaris ſtare judicandum.

Act.25.v.10.

Nam ut ille Romulo potiùs ſucceſſit in trucidandis fratribus; quàm Petro in paſcendis ovibus: ſic tu, cum lupâ Romuli nutrice, ululare mavis, OCCIDE ET MANDUCA; quàm cum Petro converſo fratres tuos confirmare, omiſſoque in clerum dominio, exemplar te præbere gregi.

Luc.22.v.32
1. Pet. 5.v.3.

Apoſtolum, an Apoſtatam; Evangeliſtam, an laniſtam vocabimus eum: qui parricidas in Principum exitium, hoc celeuſmate, tanquam furiali face ſubditâ; impellit? *Præclarè cum rebus humanis ageretur, ſi multi homines tam forti pectore invenirentur, pro libertate patriæ, vitæ contemtores & ſalutis.* Et

Mariana ubi ſup. pag.60.

pag.

pag. 74. *Si hujuſmodi* (ſicarii) *poſt deſignatum facinus evaſerint; inſtar heroum in omni vitá ſuſpiciuntur: Si ſecùs accidat, gratâ ſuperis, gratá hominibus hoſtiá cadunt; nobili conatu ad omnem poſteritatis memoriam illuſtrati.* Huic prǽclaro operi, Magiſter Provincialis, tanquã Phonaſcus, in hunc modum præcinit: *Si ad hanc præſcriptã formam actiones & conſilia referãtur; næ magnum atq; incredibile opera-precium exſiſtet.*

Hæc de peſtifero Evangelio tuorum ſodalium (non à Jeſu è ſinu patris cœleſtis prolato; ſed ab Eſau, vel à Judâ è ſtygiá palude hauſto) obiter delibare viſum eſt: ut, quàm bene de nobis ſis meritus Apoſtolatu illo, quo te venditas; tum quid de Eccleſiaſtico tuo, quod crepas, conflatorio, ſtatuendum ſit, omnes intelligant. Corradis hîc, obtortoque collo ad profligatæ cauſſæ tuæ patrocinium rapis, ea potiſſimùm S. Scripturæ dicta, in quibus tum ignis, tum auri & argenti mentio; minimeq; diſſimulas, quid in hoc negotio tuum jecur urat: nam ovis, à veſtris ſeptis aviæ, jacturam facilè concoqueres; ſi modò aureum illi vellus avellere, & in Romani lupi fauces, tanquam in ardentẽ fornacẽ, conjicere licuiſſet: non abs re veritus, ne luculẽtiſſimis & quæſtuoſiſſimis quondã flammis collucens Purgatorii veſtri caminus, jam ve-

rò maligno admodũ igne tepens, planè in favillas & cineres abeat; ſi noſtro exemplo alii Principes ligna, quibus alitur, ſubducant. Hinc illæ lacrymę: hinc intemperies tua, nõ ſine Corybantico ululatu in nos evomens, quicquid vel malevolentia animo concipere, vel ore exprimere potuit petulantia. Quaſi verò de peccatorũ rubigine & ſcoriâ purgandâ, aut fidei auro per illam conflaturam excoquendo; ac non potiùs de illo, quod ex terræ viſceribus effoditur, & navibus atque quadrigis Romam advehitur, auro inuncando aggerandoque, ſolliciti ſint tui

Pontifices, quibus in templo ſolum placet aurũ!

Nempe, ſi qua fides anagogicæ tuæ propheticorum oraculorum expoſitioni, aut

Luminibus captus ſi rectè vidit Homerus:

Deus ille, quem Iſaias conſpexit ſolio inſidẽtem, angelicis copiis ſtipatum, & glorioſiſſimâ majeſtate, in judicandis Judæis, præfulgentem; nihil niſi typus, & umbra quædam fuerit Pontificis tui, Cardinalium ſatellitio ſtipati, & vindictæ ſuæ thyrſum, inſtar Mænados, quatientis, fumumq; & vana incendia cum Caco ex Aventino in Adriam vomentis. Satìs lepidè quidem; at non minùs periculosè, Cardinales tuos à ſuperliminaribus cardinum, quorum meminit Propheta, arceſſis. Nam ut demus tibi, Iſaiæ vaticinium

in

in hoc Pontificis judicio impletum eſſe : tu viciſſim nobis largieris, jam-jam implendum illud, quod Amos ſcriptũ reliquit: *Percute cardinem, & commoveantur ſuperliminaria: (Avaritia enim in capite omnium) & noviſſimum eorum gladio interficiam: non erit fuga eis. Fugient; & non ſalvabitur, ex eis qui fugerit.* cap. 9. v. 1. Viden' Baroni, cujusmodi pileus, quæ purpura maneat ſacerrimum illum Senatum tuorum Cardinalium? Non adverterat animũ ad hanc Prophetiam Hoſtienſis, qui Cardinales figuratos eſſe contendebat lib. 1. Sam. c. 2. in his verbis: *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Sanè non imus inficias; volvi ac revolvi, circa Cardinalitios hoſce cardines, omnia propemodum Pontificii orbis negotia: cautiùs tamen feciſſes Baroni, ſi Cardinales tuos vel à ſcapis cardinalibus Vitruvii; vel, quod tantũ Antiquitatis vindicem atq; aſſertorem magis decebat, à Veterum Romanorum Deâ Cardeâ derivare; quàm inſtar bubonis, aut parrhæ, tam dirum omen collegis tuis occentare maluiſſes. Nobis, quippe ſimplicioribus, hactenus arriſit pervulgatum etymon, neſcio cujus Grammatici acumine non infeliciter indagatum; nec minùs ipsâ rei veritate & evidentiâ comprobatum: qui *Cardinales* per epenthesin dictos putat, quaſi *Carnales*, ſicuti

Imperator Poëtis dicitur Induperator; Impedimenta, Indupedimenta: aut quemadmodum Socii tui Suitæ, non ſinè ſacrilegâ proſtheſi, vocãtur Jeſuitæ: ne tu per aphæreſin, à nobis appellari putes, Suitas; quomo-
cap. 22. v. 24 do apud Jeremiam Conjam legimus, pro Jeconiâ. Sanè cùm in priſcâ Eccleſiaſticæ hierarchiæ delineatione, ne mentio quidem fiat Cardinalium; nedum locus, aut ſtatio aliqua, in militantis Eccleſiæ caſtris ipſis aſſignetur: non immeritò cum lixis & calonibus, inter impedimenta & ſarcinas rejiciendi; imò tanquam παρωνυχίδες & ſtrumæ, myſtico huic corpori adnatæ, cauterio reſecandi, & ex arvo dominico, cum carduis & paliuris, triticum opprimentibus, averruncandi videntur. Ac ne indignum hoc, aut inſolens factum clamites; memineris, tui loci
lib. de Reformat. atque ordinis hominem, Cardinalem Alliacenſem, Synodo Conſtantienſi auctorem fuiſſe hujus ſententiæ; de furcillando toto hoc hominum genere, quod oneri magis, quàm uſui eſſet Eccleſiæ. Huic Alliacenſis conſilio, ſi Patres illi aſſentiri, quàm Patri Patrum aſſentari maluiſſent: dies ille non minùs felix fauſtusq; illuxiſſet Reip. Chriſtianæ; quàm funeſtus & inauſpicatus fuit olim Romanis dies Allienſis. Ecquid enim ab aliquot jam ſeculis aliud agunt purpurati iſt

Satra

Satrapæ; quàm ut feralibus bellorum facibus inflamment, ac collidant orbem terrarum? Si qui mitiore ſunt ingenio: inito hoc honore, id ſolum ſibi negotii datum credunt, ut Ethnicorum Epulonum luxum ab orco revocent, & Saliares Cœnas inſtaurent, ac dum Bacchanalia vivunt, Curios ne ſimulent quidem; & molliores potiùs, quàm mitiores ſeſe probent. Imò, quod Ethnici quoque exhorreſcant, inter purpuræ hujus candidatos exſtitêre, qui præpoſteræ libidinis, non modò ſordes in deliciis habuerunt; ſed laudes etiam carminibus ornârunt: quod in hac ipsâ urbe, à Jo, Casâ Archiepiſcopo Beneventano, Sanctiſſimi Domini tui à latere Legati, factitatum, non ſinè horrore meminimus. Sed & ipſi Pontifices, quid dè hoc Ordine ſentiant, non obſcurè nos docuit Julius III. cùm ad ſummum Pontificatum evectus, galerum ſuum cardinalitium donaret Ganymedi ſuo: qui, cùm in famulitio Julii agens, non in belluas, ſed in turpiſſimam beſtiam ſimiam, ſibi ſimilem, imperium habuiſſet; etiam poſt adeptam dignitatem, Simiæ cognomentum, & exoleti locum retinuit: prorſus quaſi ruber ille pileus, non niſi Catamitorum patellâ dignum ſit operculum: & quaſi, ut olim Jupiter Cercopes in ſimias; ſic hodie ſimias in Cardinales mutet Romanus Autolycus,

Qui facere aſſuevit, patriæ non degener artis,
Candida de nigris, & de candentibus atra.

Nec minùs horrenda eſt horum Cinædorũ truculentia; quàm exſecranda libido: nec aliunde, quàm à piorum ſanguine, rubet pileus ille; & ab ollâ, quâ in mulabus ſublimes, ac pomparum ferculis ſimiles incedunt purpurati iſti purpuratæ meretricis amaſii: cui tot paſſim Chriſtianorum martyrum hecatombas; imò myriadas, mactãt. Eſt enim Pater ille Patrum, etiam Poëtico Saturno immanior: cujus faucibus cùm non paucos ſubtraheret liberos Rhea uxor; Curia Romana, quæ Sanctæ matris titulo gaudet, eodem quo Cyclops ille, crudelitatis œſtro percita,

Viſceribus miſerorũ, & ſanguine veſcitur atro.

Et cùm olim Pelaſgi, Herculis ſuaſu, pro hominibus, quos Saturno mactare conſueverant, cereos obtulerint; Capitolinus veſter Saturnus, cui Patrum noſtrorum ævo cereis litabatur, nullis hodie, niſi humanis victimis placari poteſt: adeò ut, ſi tres ſolùm reperiantur in univerſo novæ Babylonis imperio, qui portentoſum hujus Nebucadnezaris idolum adorare detrectẽt, illicò in accenſam
Dan. 3. fornacem conjiciantur. Hoc de Cardinalib' epiſodium intexere libuit: ne poſthac hujuſmodi vomicas, & carcinomata Eccleſiæ, in cœlorum Cardinibus colloces; ſed ad Æoli carcerem, aut Vulcani Lemnum, amandanda

eſſe

eſſe intelligas; ubi cum Bronte, & Sterope, recentia, jam propemodum exarmato Jovi tuo; fulmina cudant: donec Jehova, ignis ille conſumens, fatuos ignes, quos ad terrendũ Leonem noſtrum è cœlo elicere videtur beſtia illa agno aſſimulata, ſpiritu oris ſui difflet, ac diſſipet, eamq; cũ pſeudoprophetâ ſuo conjiciat in ſtagnum ardens igne & ſulphure; ſolusq; luceat ignis, quem Chriſtus in terram miſit, & qui ſuper Apoſtolos linguarum ſpecie apparuit. Tunc implebitur, quod dictum eſt per Prophetam: *Ecce vos omnes accendentes ignem, ſuccincti flammis, ite in focum ignis veſtri, & in flammas, quas ſuccendiſtis. de manu meâ factum eſt hoc vobis: in doloribus jacebitis.* Nempe, ut, qui ignem ſacrum aſpernantur, in profano illo, quem Core cum ſequacibus ſuis accendit, pergant & pereant. *Luc. 12. v. 49.* *Act. 2. v. 3.* *Iſ. 50. v. 10.*

Ab Ignibus Scripturæ ad ejusdem Aquas delaberis: ſive ut æſtuanti Pontifici frigidam ſuffundas: ſive ut, quemadmodum Chriſtianorum manes in purgatorio, non ignibus ſolùm torreri, ſed aquis etiam & fluctibus jactari, ex Pſal. 66. v. 12. ſi Deo placet, probare conſuêſtis; ſic tutemet, qui vivẽs mortuus es, eosdem manes pati, jamq; inferorũ veſtibulo, inter Antelios Dæmonas, verſari videaris: ſive deniq;, ut abſolvas fulmen illud Vulcani tui; cujus pars imperfecta maneret, niſi adderes *Tert. de Idol. c. 15.*

Tres imbris torti radios, tres nubis aquoſæ.

Igitur, quam olim in Babylonem fluminibus irriguam, Jeremias coortam vidit divini judicii procellam, converſo turbine, in nos detorques: nempe quia aquarum, quibus nos circumvallavit Deus, emiſſario; imò a-
Ioan. 7. v. 38. quis illis vivis, ex credentium ventre fluentibus, Purgatorii veſtri ignes exſtinguendos, & Monachorum tuorum otio marcentes, & saginâ fluentes ventres, ad extremam tabem redigendos, proſpicis? Hinc iſta ὑδροφοβία Canum tartareæ illius culinæ nidorem ſe-
Iſaj. 56. v. 11. ctantium, & *ſaturitatem ignorantium.* At quàm incautè rurſus, odio noſtrî, tanquam ſcotomate quodã percuſſus, in hos Scripturæ vortices inſilias; quàm inauſpicatò profanam cum Uzâ manum ſacræ Fœderis arcæ admoveas; vide, ſodes, Baroni. Nuſquam certè Scriptura urbi Venetæ; ſed Romæ non uno loco, Romæ, inquam, Babylonis typo deſignatæ, ac penè digito monſtratæ, obtortóq; collo in jus pertractæ, tale judicium exitiumq; minatur. Quæ-nã, obſecro, meretrix
Apoc. 17. v. 1. illa, *quæ ſedet ſuper aquas multas? cum quâ ſcortati ſunt reges terræ? & cujus ſcortationis vino inebriati ſunt incolæ terræ?* Quæ-nam mulier illa *inſidens Beſtiæ coccinæ?* (pilei tui decus noſce:) *in cujus fronte nomen ipſius ſcriptum eſt,* BABYLON, *magna mater ſcortationum & abominationum terræ, ebria ſanguine ſanctorum, ſanguine marty-*

rum? &c. Eludéſne oraculum illud tam clarum, ut Solis radio ſcriptum videri queat? *Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet.* Etiam, qui nondum ære lavantur, nôrunt hos verſus:

Septem urbs alta jugis, toti quæ præſidet orbi.
Septem quæ una ſibi muro circumdedit arces.

Contemnis Poëtas? audi Patres. *Babylon apud Joannem noſtrũ Romanæ urbis figuram portat: proinde & magnæ, & ſuperbæ, & ſanctorum debellatricis. Civitas diaboli Roma fornicaria, mulier purpurata eſt. Meretrix purpurata, in cujus fronte ſcriptum eſt nomẽ blaſphemiæ Roma æterna. Babylon prima Roma; Roma ſecunda Babylon. &c.* En Babylonem à melioribus auctoribus ἀλληγορουμένην; Vin' exitum ejus audire; imò aſpicere? *Cecidit, cecidit Babylon illa magna; & facta eſt domicilium dæmoniorum, & cuſtodia omnis volucris immundæ & inviſæ.* Arrige aures, Pamphile, ad hujus oſcinis cantum: & fateberis, nihil ad nos pertinere *pedalem illam præciſionem à trunco*; & quicquid præterea minarum & conviciorum de plauſtro tuo in nos jacis. Inconcuſſam cùm jactas Synagogam Romanam; fruſtraq; à ſchiſmaticis, ab hæreticis, & ab infidelibus hactenus tentatam: Plinium & Caſſiodorum, veteris urbis cloacas elogiis ſuis ornantes, audire nobis videmur: quas operum omnium maximum

Tert. adv. Iud. Amb. in Apoc. c. 17. Hier. ad Algaſ. Aug. de civit. Dei l. 18. c. 2.

Apoc. 18. v. 2.

ille vocat: quòd nec amnium intus corrivatorum impetus; nec moles, ponderáq; graviſſima, per vias, & ſuper illas trahi ſolitæ; nec incidentium ædificiorum ruinæ; nec terræ-motus, obnixam earum firmitatem quatere, aut labefactare potuerint: ſed à Tarquinio Priſco, annis propè octingentis, durent inexpugnabiles. Iſte, eaſdem cloàcas, omnibus aliarum civitatum miraculis anteponit; atque ex hoc ungue Leonis magnitudinē colligit: affirmās nullā eſſe urbē, quæ culmininibus Romæ auſit contendere; quando nec ima ejus poſſint ſimilitudinem reperire. At, quemadmodum inſanas illas cloacarum, aliarumq; veteris urbis ſubſtructionum moles, expugnavit tandem, ac propemodum expunxit Tempus edax rerum: Ita & quam ex cloacâ Arcem ſibi fecit Dea tua Cloacina, Augiæ ſtabulo oppidò quàm ſpurciorem, diruit jam, porróq; diruet ac funditus delebit is, qui fecit tēpus, *Act. 1. v. 7.* omniáq; temporis momenta in ſuâ poteſtate habet: &, quæ Codro, ipſóque Saturno antiquiorem ſe jactat; ab Antiquo dierum antiquabitur. Proinde quàm liquidò oſtenſum eſt, Babylonis nomenclaturâ Romam τὴν ἑπτάλοφον, illis Scripturæ locis indigetari: tā ſecurè contemnimus; tam ſuaviter ridemus Iſiaci tui Sacerdotis ſiſtra. Quære peregrinū, quem terreant hæ Lamiæ turres; hæc Ambubajarum tuarum crotala. Nam quid aſſecutus

:us eſt, bruti fulminis ſui jactu, ille tuus Baal-
phegor, id eſt, πορδεὺς, non βροντεὺς; niſi
ut hujus cymbali tinnitu exciti, citiùs nos ex
ſordium veſtrarum barathro proriperemus,
auribusq́; magis patulis cœleſte illud tonitru
admitteremus: *Exite ex eâ popule mi, ne partici-* *Apoc. 16. v. 12.*
pes ſitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis.

Tibi, Baroni, ſociisque tuis lugenda & lu-
enda erit hæc excommunicatio: quoniam
averſus eſt Euphratis alveus, nullásq; dehinc
in lacum veſtrum Lucrinū aquas immittet;
ſolo Averno, in quo natetis, vobis relicto: ut
impleatur id quod ſcriptū eſt: *Mercatores terræ* *Apoc. 18. v. 11.*
flebunt & lugebunt: quoniam merces eorum nemo
ampliùs emit. Jampridē audire videmur nobis
Baronii & Bellarmini, antehac gemellarum
Eccleſiæ Romanæ columnarum, cujusmodi
ſcilicet ſunt Pasquill' & Marforius; nunc verò
duarū præficarū, leſſum & lugubrē næniam:
Curavimus Babylonē, & nō eſt ſanata: derelinqua- *Ier. 51. v. 9.*
mus eam; & cum limbolariis, phrygionibus, "
patagiariis, flammeariis, infectoribus, & pur- "
purariis, ac deniq; cū universâ noſtrâ Sepla- "
ſiâ, ad Japonenſes migremus; ubi nondū not' "
Ulyſſes ille togatus, cū artificiis ſuis Sinoniis. "
Quid enim hacten' tot præſtigiis, & offuciis, "
quibus Europæis nationibus os ſublevimus, "
conſecuti ſumus: niſi ut, tanquam impuden- "
tiſſimi agyrtæ, palamnæi, & alaſtores ubivis "
terrarum traducamur; & ex omnibus nidis, "

" clauſtríſque noſtris, quæ jam in palatiorum
" molem excreverant, excutiamur?
" ——*Heu quæ nos terræ, quæ-ve æquora poſſunt*
" *Accipere? aut quid tam ſceleratis denique reſtat?*
" Ne Sauromatas quidem, & glaciali Oceano
" conterminos Scythas, noſtri latuêre doli :
" cùm, renovato Perſicorum Magorum exem-
" plo, Demetrium quendam, tanquam inter-
" polatum Smerdem, in Moſcorum Theatrũ,
" mangonio noſtro produximus ; ſed non ſa-
" tìs poliorceticâ helepoli inſtructum, ac pri-
" ùs è proſcenio exploſum, quàm Dianæ noſtrę
" ſimulacrũ διοπετὲς erigere, & ceruſsâ ac pur-
" puriſſo Romuleo pingere, Sotericisq; calami-
" ſtris inurere licuerit. Nimirum, ut Simoni-
des olim ſtupidiores eſſe Theſſalos dictita-
bat ; quàm ut carminum ſuorum illecebris
capi poſſent : ſic rupices illos, & petrones
Moſcos, feriores expertus eſt ille δήμητρος,
ſive terræ filius ; quàm ut Romanarum Sire-
num cantu ac pellaciâ miteſcerent. Ergo vix
deguſtato imperio illo, dum adhuc promul-
ſidem ligurit, funeſtæ, ac pluſquàm tragicæ
pompæ ferculum apparavit Scythis, barbaro
Sarcaſmo accinentibus:

En agros, & quam technis Jeſuita petîſti,
Moſcoviam metire jacens: hæc præmia, qui me
Fraude auſi tentare, ferunt; hæc ſceptra reportãt.

Sed moleſtum fortean, Baroni, hoc ulcus
tangere,

&

——*& obductum verbis vulgare dolorem:*
Igitur miſſa hæc faciamus; &, quod inſtat, agamus, quibusq; argumentis nos ab Eccleſiâ extorres, in ſempiterni exitii abyſſum præcipites agas, expendamus.

Scribis; Jure divino atque humano ſacra à profanis diſtincta eſſe debere, & diverſæ penitùs rationis cenſenda. Sacra non violanda eſſe, operosè probas ex utriusque ſacri Inſtrumenti tabulis; & in re minimè dubiâ, teſtimoniis ac teſtib⁹ uteris minimè neceſſariis. Inculcas nobis typicam illam Templi apud Ezechielem delineationem; parietis intergerini ſeptum; murum & antemurale Iſaiæ; ſtructuram Cœleſtis illius Hieruſalem apud Joannem: unde nos exulare jubes; propter leges iniquas ſcilicet, quas condidimus: quas & tyrannicas videri vis, propterea quòd non ſubditis latæ; & ſacrilegas, quòd de rebus ſacris latæ ſint. Tyrannici hujus ſacrilegii, & ſacrilegæ tyrannidis ultorem, ὡς ἀπὸ μηχανῆς, producis Petrum; idem in nos telum librantem, quo olim, cùm ſcilicet nōdum aurum & argentum haberet, Ananiam & Sapphiram exſtinxit.

Næ tu, Baroni, non levi curarum faſce levares Romanum Thraſonem: ſi, ut Cathedræ Petri; ſic pharetræ hujus hæreditatem, Annaliũ tuorum tabulis ei conciliare poſſes,

Non jam cum Caiphâ ſcinderet veſtes: non cum Auguſto caput foribus allideret; nec cũ Maximino in parietes incurreret, in columnas ſe impingeret: nec neceſſe haberet conſcribere exercit'; nova imponere vectigalia; præfecturarum & magiſtratuum, jampridem venditorum, precia intendere: nempe ut, qui in Romanæ Curiæ Rotâ, eâdem vertigine rotant lites, quâ ipſi olim apud inferos, in Ixionis rotâ ſe circumagendos nôrunt; tam ſacrilegè vendant judicia, quàm turpiter emerunt magiſtratus. Agè, Baroni: digna eſt res, in quã omnes ingenii, calamíq; tui nervos intendas; omnia Vaticanæ Bibliothecę ſcrinia, angulos omnes ruſpãdo ventiles: ſi quid fingere, texere, nectere, efficere potes; ut in hanc Petri hæreditatem Papa irrepat, irrumpátve,

ἢ δόλῳ, ἠὲ βίῃ, ἢ ἀμφαδὸν, ἠὲ κρυφανδὸν·

ſoloq; deinceps Spiritu oris ſui, edictorũ ſuorum contemtores conficiat. At certè, ſi nullo alio documẽto oſtendi poſſet, Eccleſiã illam, cujus laudes tam ineptè ebuccinas, pridem in profanam Monarchiam; imò in Antichriſtianam Tyrannidem, ab illo, ſive Caiphâ, ſive Chaliphâ tuo converſam eſſe; ut neque vola, neq; veſtigiũ appareat ejus, quod ſub Cephâ in eâ viguit, regiminis: ſatìs ſupérq; id oſtenderet novum illud Edictum, ſive Interdictũ; cui ne tui quidẽ, quibus paulò ſanius eſt ſinciput, adſcribere ſuſtinent, *Bonum Factum.*

Nempe

Nẽpe ſi Deo militaret; ſi Chriſti, qui ne herciſcundæ quidem familiæ arbitrium officio ſuo congruere exiſtimavit, in militãtis Eccleſiæ caſtris ſupremus legatus, ac ſingularis vicarius eſſet: ejusmodi negotiis ſeſe implicaret? ſic ſeſe τῷ ϛρατολογήσαντι approbaret? 2. Tim. 2. v. 4.
Scilicet Pauli illius, qui negat arma militię ſuę eſſe carnalia, ſucceſſor eſt Paulus iſte; qui armatis in prælia fratribus, ſubjectísq; univerſę propemodum Europæ feralibus & furialibus bellorum facibus, non Camarinam, ſed ipſum jam Acheronta movet! Certè, non Petri, gladium in vaginã recondere juſſi; ſed Pompeji Sullaturiẽtis, & armatas equitum peditumq; copias, ſupploſione pedis, ex ipſis terræ viſceribus excire geſtientis, in Papâ Spiritum experimur, eundémq; utriusq; exitum opperimur. Detracta jam eſt larva magnæ meretrici: & quæ cæcas mortalium mentes tot jam ſecula obſederat, 2. Cor. 10. v. 4. Matt. 26. v. 52. Ioan. 18. v. 11.

Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum.

Nequicquam illa fœcundũ concutit pectus, & novas technas corruſpatur:

Cùm benè ſe tutam per fraudes mille putavit:
Omnia cùm fecit; Thaida Thais olet.

Sed nova ſcilicet, & inaudita Venetorum crimina delata ſunt ad hunc Patrẽ patratum; ut, patrandis cædibus ſceleribusq; cœlum terræ miſcere jus fásq; ſit ipſi, & non ſinè magnâ ratione inſaniat! Nimirum, quia Sereniſſimus

Princeps noſter,facto Senatusconſulto, urbē hanc , plùs ſatìs hactenus κατείδωλον, novis idoleis augeri vetuit;quia,quod reliquum eſt civibus ſanguinis,ab harpyis & hirudinibus veſtris exſugi noluit;quia ſicarios,parricidas, inceſtuoſos, magos, veneficos, (quos ſacerrimus Pontifex veſter,ſimul atque unguento illo meretricio delibuti fuerint, ſacroſanctos eſſe jubet) cauſſam dicere, convictosq́; duci juſſit: atq; ut rem in pauca conferam ; quia Princeps noſter,cum Senatu ſuo,tandem aliquando ſapere cœpit,neque deinceps Romani Briarei ungues ſibi cum Dandulo pertimeſcendos, ſed excuſſo veterno, poculíque Babylonici temulentiâ , gladium divinitus acceptum , in ſceleratiſſimum illum , non Chriſti præconē,ſed Chriſtiani orbis prædonē ac tyrannū, legitimis Principibus tanquā canibus inſultantem ,ſtringendum ſtatuit.

Ad hoc decretum,quaſi hippomanes hauſiſſet, Paſtor ille Paſtorum, ſeu potiùs Alecto illa, Gorgoneis infecta venenis,

——— *ſtabuli de culmine ſummo,*
Paſtorale canit ſignum, cornuq́; recurvo
Tartaream intendit vocem.

Hinc bullas, ampulláſque ſuas, lolliginis ſucco; imò antiqui Serpentis veneno turgidas, in nos, tanq̄ auſos immane nefas, effundit: nos ex conſortio fideliū, ex numero hominum, è finibus humanæ naturæ, extermi-

nādos,

nādos eſſe vociferatur. Scilicet non ſatìs laxè, neque ut hominē ſe habitare putat, Monſtrū illud hominis: niſi, ut olim Nero ex urbe Româ privatam domum facere cœperat; ſic ex univerſo orbe Romano, templum ſibi exſtruat perditionis Filius: in quo ſedēs, ſupra omne Numen elatus ac inflatus, adorandū ſe præbeat. tametſi jampridem adeò exundaverit illa Idolomaniæ lerna, ut plures ferè viſantur ædes ſacræ, quàm profanæ; nec Vejos modò, ſed ipſos etiam Indos occupaverit hujus Vejovis fanum; totq; divorum, velut apum è cæſis juvēcis, paſſim erumpāt examina, ut de Antichriſti Synagogâ, omnium ſuperſtitionum colluvie, veriùs dici poſſit, quàm de Ethnicâ Româ τῆς οἰκουμένης ἐπιτομῇ: tam præſentibus plenā eſſe numinibus, ut facilius ſit Deum invenire, quàm hominē. Sed nec conſpicuam ſatìs notam in fronte præferret magna meretrix: niſi Cinędos & Catamitos ſuos, non modò omnia ſordibus & flagitiis ſuis impunè conſpurcare, & inceſtare pateretur; imò vellet, juberétq;: verùm etiam eoſdem, pro collatitiâ ſtipe, & ſportulis, quibus olim tenuiter alebantur priſcæ Eccleſiæ miniſtri, ampliſſimis latifundiis, adeóq; Satrapiis & Regnis, augeret ac collocupletaret: ita ut veteres illi Phariſæi, in dilatandis fimbriis ſuis, prę novo hoc Phariſæorū, phylacteria & pomeria ſua longè magnificentiùs proferentiū & explicantium, genere, nihil ſapuiſſe; & non

Petron.

modò Sulla, ſed ipſe etiam Cæſar, prę hoc Dictatore, literas neſciiſſe videatur. Hāc τῦ ἀνόμυ libidinem, legum clathris repreſſam, ac coërcitā doles, Baroni: & ſtrigoſiores dehinc Sacerdotum, non jam Potitiorum, ſed Pinariorum, ventres, loculosq;, nō abs re, veritus; Væ illud Iſaiæ, in legum iniquarum conditores pronunciatum, nobis obtonas: nempe ut oſtendas; nihil Romę iniquius videri, quàm iniquitatis funes, ſtricto ſalubrium legum mucrone, incídere; quippe iſthîc

Omnia cùm liceant, non licet eſſe pium.

Já verò meram ęquitatē, puram-puram pietatem tibi ſpirant leges illę, quas Pontifex, non ſolùm hominibus, adverſùs placita ſua hiſcere vetitis, etiāſi multa animarū millia ad tartara detrudat; ſed etiā Angelis, imò ipſi Christo, & Spiritui Sancto, in ordinē coactis, ferre auſus eſt, per Canoniſtas, tanquam hypophetas ſuos: decreta ſua omnibus Prophetarū ſcriptis anteponenda eſſe, ſciſcēs; voluntatē ſuam, ut juris & ęqui normā, proponēs: quippe q̃ idem habeat Conſiſtoriū cum Deo; idē tribunal cū Chriſto; & in hoc mūdo abſolutē poſſit facere, quęcūq; facit Deus; ac proinde nemini liceat ab ipſo ad Deū provocare. Quid commemorē leges, quas complectitur *Liber Taxarū*: non ſanè, ut illę Draconis, ſanguine; ſed potiùs ſtercore ſcriptas? in quibus mitiſſimę illi' Matris ſcortationū benignitas, ac ſemp-leni-

Diſt. 40. C. Papa.

Bulla Clem. V.
Deciſ. Rotæ
Phil. Deciſ.
Fr. de Ripa.
Hoſtien. &c.

tas,

tas,tãquã in ſpeculo intuẽda ꝓponitur. Nullũ tam atrox & immane ſcel⁹ eſt; quod aureo imbre,in hujus Danaës gremium infuſo, nõ luatur:flagitiũ nullum tã obſcenum ac ſpurcũ,quod hac ſpongiâ nõ protin⁹ abſtergatur. etſi paulò pluris veneat venia illa, quę peccatis adversùs ejusdẽ pię matris edicta admiſſis indulgetur: putà, ſi qs diebus vetitis palatum carnis offulâ infecerit, longè acriore is opus habet cathartico;quã ſi animã corpusq; parricidio,nefariâ libidine, aliíſve, qbus Dei leges violãtur,ſcelerib⁹ contaminaverit. Iſta enim ab eo,qui vetuit, vindicari ęquius cenſet Papa; quàm à ſe, cui hęc in amoribus, in deliciis. Nempe dormitabat, aut etiam delirabat ſenex ille recalvaſter,cuj⁹tam luculentam hęreditatem,titulo patrimonii Petri, hodie cernit Papa,cùm ſcriberet: *nos non argento vel auro; ſed precioſo ſanguine agni immaculati redẽtos eſſe.* 1.Pet.1.v.18. dignus, qui perpetuò aſymbolum illud ſymbolum uſurparet; *Aurũ & Argentũ non eſt mihi:* atq; etiã,cui in Pontificũ Conſiſtorio flagris excuteretur veternus ille, quo torpebat; ſtũ, ignarus ſe omnium Principũ ac Regũ excesſiſſe faſtigiũ,atq; à nemine judicandum,ab Herode in vincula conjici, atq; etiam à Paulo reprehendi ſuſtinuit.qui certè divinã hanc Papatus majeſtatem, pedore & ſordib⁹ obſcureſcere paſs⁹ fuiſſet;niſi ſucceſſores ipſi⁹,ab alio Spiritu edocti,quomodo ornãda eſſet hęc ſparta,inſtitutâ quęſtuoſiſſimâ hac χειϛονα-

Act. 3. *v.* 6.
*Act.*5. *v.*40.
*Act.*12. *v.*4.
Gal. 2. *v.* 11.

πηλεία, fœdũ illũ, quo ſub Apoſtolis contabuerat, ſitũ & ſqualorẽ Eccleſiæ abſterſiſſent.
Apoc. 13. v. 11. Neq; enim Beſtiam è terrâ cum Tage erutam, aliis, quàm terrenis opibus, regnũ ſuũ firmare decuit: neq; aliunde, quã ex hac nundinatione, annona curari, & pabulum præberi potuiſſet tot Architectis, in collapſis ad Evangelicæ tubæ clangorem Jerichuntis muris, redivivo opere excitandis, ſtrenuam operam navantibus; totq; togatis vulturibus, ad iſtud cadaver ab omnibus ferè locis advolantibus,
Matt. 24. v. 28. faſtidito illo, ad quod aquilæ aggregantur.

Simplicitas rudis antè fuit: nunc aurea Roma eſt;
Et magnas domiti poſſidet orbis opes.

Nec abſurdè quis totius hujus Regni typũ, in Crocodili ortu, incremẽto & ingenio propoſuerit. Nam, ut nullũ eſt animal, quod à tam parvis initiis, in tantam excreſcat magnitudinem; prorepens ex ovo, quod non majus anſerino: Sic Papa, cum fungis, ex nocturnâ pluviâ; aut, ſi anilium annalium conditori
Tom. 1. an. 34. §. 275. Baronio creditur, ex umbrâ Petri ortus,

Imperium terris, animos æquavit Olympo.

Peculiare Crocodilo putatur; ut, quamdiu vivit, nullum creſcendi faciat finem. Multis jam ſeculis crevit Papa: primùm quidem alluvione quadã, & latente incremẽto; deinde verò tã manifeſtâ & rapidâ eluvione omnia populat', ut ꝓpter hoc jus accreſcẽdi, divina humanaq; jura ꝑvertere ac peſſũdare nihil pẽſi

habue-

habuerit. Ac tametſi noviſſimis hiſce temporibus impleri oporteat Scripturam; quæ prædixerat, fore ut, qui cum iſtâ meretrice ſcortati fuerant Reges, carnes ejus arrodãt: crecit nihilominus Papa,&, quod unguibus corripere, dentibusq́; comminuere nequit, ſpe,& conatu, inaniq́ue hiatu deglubit ac deglutit; quantâ maximâ poteſt vi obſiſtens, ne, quod unus omnibus eripuit, omnes uni extorqueant. *Apoc.17.v. 16*

Tam in terris, quàm in aquis vivit Crocodilus. Etiam noſtra beſtia anceps eſt; ac velut amphisbæna, tàm in Republicã, quàm in Eccleſiâ graſſatur: imò beſtia hæc è terra egreſſa, priorem è mari ortam, minimo minus jam diſcepſit.

Hæc eſt, exiguis quæ finibus orta, tetendit
In geminos axes; parvâq́ à ſede profecta,
Diſperſit cum ſole manus.

Nullâ ſui parte, niſi in ventre, penetrabilem habet cutem Crocodilus. Per eundem, immane, quantum huic meretrici vulnus adactum; quámvis partem illam firmiſſimis ſemper texerit munimentis; minimeq́ue, ut Agrippina, eam percuſſoribus feriendam præbuerit, licèt quovis Nerone tetrius monſtrum enixa.

Ut Ichneumon, vile in ſpeciem animalculum, in apertas dormientis Crocodili

fauces, inſtar jaculi illapſus, inteſtina ejus arrodit: Sic contemtiſſimus homuncio, ex-cucullatus Monachus, ſomno vinoque ſepultam meretricem adortus, Indulgentias, tanquam interanea ipſius, primùm eroſit; mox alii per patentem Babylonis hiatum, magno ſe-ſe agmine intulerunt, & ingentem pennis ſuis ſtragem ediderunt: delphinum inſtar, qui ejusdem Crocodili hoſtes, haud ignari, quâ potiſſimum parte lędi poſſit, aquam ſubeunt, pinnisque quas in dorſo gerunt, alvum illi ſubſecant.

Ex beſtiis ſolus Crocodilus linguam non habet. Elinguis quoque eſt Papa ad docendum; ad maledicendum verò & exſecrandum, fulminibus & *linguis micat ore triſulcis*.

Oculi Crocodilo in aquâ hebetes; extra, acerrimi. Cæcutit Papa, magis quàm talpa, in vivis illis Sacræ Scripturæ aquis; in rebus hujus ſeculi, quovis Dracone oculatior.

Terret Crocodilus fugientes; fugit terrentes. Idem Papæ eſſe ingenium, vel hoc ipſum, quod agitur, negotium oſtendit. Nam ſimul-ac Leonem illum, Marci comitem, exſertâ linguâ, & ἀλκαίας κέντρῳ minacem ſibi occurrere conſpexit Romana bellua; degenerum canum more, caudâ ſub alvum flexâ, pedem retulit; demiſsâque ἀδια-

πτε-ψίας ſuæ criſtâ, in ſterquilinium ſuum ſeſe recepit.

Omnium ferè linguarum proverbio tritæ Crocodili lacrymæ, quas, hominem conſpicatus, emittit, ut propiùs accedentem voret. Optimè aſſimulat has lacrymas magna Meretrix, pietatis ſpecie magnam generis humani partem orco mancipans.

Verùm enimverò, ut inter accolas Nili Tentyritæ, ſolâ voce in fugam vertunt Crocodilos; iisdemq; fluminibus innatantes, ac dorſo belluarum, equitantium modo, impoſiti, hiantibusque reſupino capite ad morsũ, injectâ in os clavâ, dextrâ lævâque tenentes extrema ejus utrinque, tanquã frænis in terram agunt captivos; ſolâque voce conterritos evomere cogũnt recentia corpora, ad ſepulturam: Sic voce clamantis Joannis in deſerto, ſeu potiùs Marci noſtri in Evangelio, conſternatus Romanus ille Crocodilus, Leonem de tribu Jùda, magis quàm Tentyritam, aut crocum Crocodilus, horret. Neque enim Leo ille igne terretur; ſed ipſe potiùs igne metuendus, & tempeſtatibus armatus; jam-jam aderit, legem ſuam, quàm gloriosè olim promulgavit, tam potenter & magnificè vindicaturus: contuſis Antichriſtis; inprimiſque illo Romano, qui hanc Antichriſtorum familiam du-

Plin. l. 8. c. 25.
Strabo l. 17.
Apoc. 5. v. 5.
Pſal. 50. v. 3.

cit: quem plusquàm Herculeâ clavâ perdomitum, coget unà cum mari & inferno reddere mortuos, quos abſorpſit; ut de ſingulis judicetur ſecundùm opera ipſorum; ac pudefiant, qui Eccleſiam, lavacro aquæ per verbum purgatam,

Apoc. 20. v. 13.

Ephes. 5. v. 26.

——*ſtercore fucârunt Crocodili.*

Inclinatâ, quam ex malè detortis Scripturæ locis produxeras, phalange; novam aciem inſtruis, Baroni: in cujus dextro cornu Patres; in ſiniſtro Impp. locas, συκίνῃ ἐπικουρίᾳ, & carnalibus viribus, carnale negotium geſturus, ac Leonem illum de tribu Judâ, cui Sacramentum dixit hic noſter, ſubulâ excepturus. Innocentius III. cui inter primos teſtimonium denuncias, è domo, è ſinu teſtis, tam formidabilis non eſt nobis hodie; quàm olim fuit Albigenſibus: quos per carnificem ſuum Dominicum aggreſſus, cùm funditus deleviſſe videretur; hoc operæpretium fecit, ut purioris doctrinæ ſemen, cum ipſorum cineribus longè lateque ſparſum, uberrimum lætiſſimæ ſegetis fructum adferret. Ambroſius, & Chryſoſtomus, baſilicas Arianis tradere noluerunt. Hinc tu, Baroni, ὡς ἄλογον ζῶον φυσικὸν, colligis; anathemate feriendos Principes, qui ſacras ædes promiſcuè, & absque permiſſu ſuo exſtrui vetant. quaſi deinceps Principi ne commu-

2. Petr. 2. v. 12.

ni

ni quidem jure Quiritium frui liceat! quorum nemo tam iniquâ eſt conditione, quin fas ſit ipſi, ſummovere fabros ab areâ ſuâ, quam ſe invito ædificandi cauſsâ occupaverint: quemadmodum nec ullius Prętoris tam ſuperbum & impudens exſtat edictum, quo quis prohibeatur, teſtamento cavere, ne, fraudatis ſuis hęredibus, otioſi fuci laborum ſuorum fructu paſcantur. Quaſi verò non major ſit poteſtas Principis in Rempublicam; quàm privati, in rem ſuam! ac nefas ſit Patri patrię, in commune cõſulere; ut-ut hoc jus, fasq; ſit Patri-familiâs in domo ſuâ! Sed iſta ſi operoſiùs refellamus, nihil aliud conſequemur, quàm ut ea minùs avarè & tyrannicè à Pontifice tuo ſancita; minùs ridiculè abs te, aliisque purpuratis Simiis, & Impudentiæ myſtis, defenſa videantur. Quid? quòd tutemet hujus defenſionis telam ita ordiris; ut non ſinè manifeſtæ prævaricationis ſuſpicione, ejus ſtamen pertexere queas. Clericos à viduarum teſtamentis, Impp. legibus ſubmotos fuiſſe, tam ingenuè fateris; quàm prudenter Legislatores illi expendebant ingenium Clericorum, ab Apoſtolo graphicè depictum: *Ex his enim ſunt iſti, qui irrepunt in familias, & captivas ducunt mulierculas onuſtas peccatis, acta cupiditatibus variis.* Nónne ſatius fuiſſet, Baroni, promul- 2. Tim. 3. v. 6

gationem harum legum, auctore Damaſo factam, prorſus abs te diſſimulari; quàm incepto illo, quod adhibes, tectorio obduci? ubi ais: Viſum fuiſſe Damaſo, connivere ad ejusmodi legem; *ut Clericorum avaritia, & ſcandalum cohiberetur.* Etiámne connivet Papa, & pervigil hic Draco, non ſecùs atque bonus dormitat Homerus? Scilicet vigilantior, perſpicaciorque Damaſo Paulus V. haud dubiè propter illam, quam diximus, cum Crocodilo conteſſerationem! Alienior à ſcandalis & avaritiâ, hujus, quàm illius Clerus! quem ab eo tempore, dirus iſte hydrops tantopere inflavit, ac diſtendit; ut, quod de Ephialte commemorant fabulæ, quotidie novem digitorum magnitudine auctam fuiſſe ipſius ſtaturam, aptiſſimè in ipſum quadret.

Hic alienus oves cuſtos bis mulget in horâ;
Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

Quòd ſi fortè Principes Politici, pro ratione officii, ſatagant, caveantque; ne, dum intumeſcit Eccleſiaſticus hic lien, membra, quæ vocant ſecularia, penitus exhauſta, tandem tabeſcant: mox Cerberus ille Romanus

——latratu ea regna trifauci
Perſonat, atque fame rabidâ tria guttura pandit:

nec criminia, fulminaque triſulca ingerere deſinit, priusquàm offâ, cui inhiat, objectâ ſopia-

ſopiatur. Duodecim jam effluxère annorum centuriæ, cùm Cleri Romani avaritiam, teipſo teſte, deplorârunt, Ambroſius, Hieronymus, & alii: ea tamen ne nunc quidem ſatìs tempeſtivè reprimi, ac frænari tibi videtur. Planè os pugilis tibi eſſe probas; dum Ambroſium, tanquam Pontificii fulminis defenſorem, accerſis: qui quámvis laceſſitus, & quidem ab Arianis, apertis fidei hoſtibus, negat ſe nôſſe repugnare. *Dolère, inquit, potero, potero flere, potero gemere; adversùs arma, milites, Gothos quoque, lacrymæ mea arma ſunt.* *T*ALIA ENIM SUNT MUNIMENTA SACERDOTIS. ALITER NEC DEBEO, NEC POSSUM RESISTERE. Diſce Baroni, ab eo ipſo quem patronum tibi advocas; Papam tuum ne Sacerdotem quidem eſſe, ne-dum ſummum Sacerdotem: qui aliis utitur, nititurque munimentis; aliter reſiſtit. Sed nec Clericus eſt: cujus ſors, ſive pars, non ampliùs eſt Deus. Hieronymum audi. *Qui Dominum poſſidet, & cum Prophetâ dicit; Pars mea Dominus: nihil extra Dominum habere poteſt. Quòd ſi quippiam aliud habuerit præter Dominum; pars ejus non erit Dominus. Si aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem: cum iſtis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini ſum, & funiculus hæreditatis ejus: nec accipio partem* ad Nepot.

inter cæteras tribus; ſed quaſi Levita & Sacerdos, vivo de decimis, & altari ſerviens, altaris oblatione ſuſtentor; habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar. &c. Quis, cui vel centum linguæ ſint, oraq; centum, Ferrea vox, hodierni Cleri avaritiam expreſſerit: ſi jam tùm priſco illo, aureoque Patrum ævo, *nonnulli ditiores erant Monachi, quàm fuerant ſeculares; & Clerici poſſidentes opes ſub paupere Chriſto, quas ſub locuplete & fallace Diabolo non habuerant: ut ſuſpiraret eos Eccleſia divites, quos Mundus antè tenuerat mendicos.* Jam tùm Clerici, fœdioribus, quàm quæ Horatianus Tireſias Ulyſſem docebat, obſequiis, & officiis teſtamenta captabant. *Ipſi,* ait Hieronymus, *apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi, & phlegmata pulmonis, manu propriâ ſuſcipiunt, pavent ad introitum medici, trementibusq; labiis, an commodiùs habeat, ſciſcitantur; & ſi paululùm ſenex vegetior fuerit, periclitantur, ſimulatâq; lætitiâ, mens intrinſecus avara torquetur: timent enim, ne perdant miniſterium; & vivacem ſenem Mathuſalem annis comparant. O quanta apud Deum merces, ſi in præſenti precium non ſperarent! Quantis ſudoribus caſſa hæreditas expetitur: minore labore margaritum Chriſti emi poterat.* Hanc invidiam à ſe amoliturus Auguſtinus, publicè apud plebem teſtatus eſt; malle ſe ex collatitiis ſportulis

Ibid.

l. 2. Sat. 5.

Poſsid. in vita Auguſt. c. 23.

tulis vitam tolerare, quàm agrorum curam in ſe recipere: ac paratum ſe cedere poſſeſſionibus,&, veterum Levitarum exemplo, oblationibus contentum fore. Quin & cùm quidam ex illuſtribus, Eccleſiæ Hipponenſi poſſeſſionem donâſſet, tabulaſque donationis obſignatas Auguſtino, & Clericis ejus tradidiſſet, reſervato ſibi tantùm, quam-diu viveret, uſu-fructu; ſed paulò pòſt pœnitentiâ ductus, easdem tabulas repoſceret, oblatis centum ſolidis, in pauperes erogandis: Auguſtinus & pecuniam,& tabulas remiſit; inconſtantiam hanc ultra paternam objurgationem haud ultus, magiſque hominis, ſive levitate, ſive hypocriſi, quàm poſſeſſionis jacturâ offenſus. Promtum erat viro facundiſſimo, & Eccleſiaſticæ dignitatis, multò quàm hodierni ſint Papę, ſtudioſiori, miris modis hoc factum exſecrari, atque oſtendere, nec repeti poſſe agrum, ſemel Eccleſiæ dicatum, ſine ſacrilegio; nec reſtitui à Clero, ſinè pari ſcelere; ac tam repoſcenti, quàm reſtituenti, Ananiæ & Sapphiræ exitum exitiumque interminari; cæteraque, quæ tu, Baroni, in tutando plusquàm Perſicæ gazæ veſtræ Palladio, altis cothurnis ἐμβατεύων ἐκτραγῳδίζεις, multò aptiùs huic negotio accommodare poterat: ſi eodem, quo tu, Spiritu ductus fuiſſet; & Mammonæ velificari, quã

Hebr.13.v.5. exemplar ἀφιλαργύρου τρόπου gregi ſuo præbere maluiſſet. Eundem, refert Poſſidius, nunquam animum induxiſſe, ut domum, aut agrum, aut villam emeret; ſed & multas hereditates recusâſſe: quòd juſtius cenſeret, eas à mortuorum liberis, aut à propinquis cerni, quàm vel in pauperum uſum deſtinari: nullo quoque fabricarum, ædiúmve ſacrarum ſtudio flagrâſſe; alioſque, immoderatiùs hoc agentes, prohibuiſſe. Viderit Pater ille Patrum; quomodo huic Patri approbaturus ſit horrendum iſtum κορυβαντιασμὸν; cujus ſtimulis impulſus, non veretur plusquàm trecentas innocentiſſimorum hominum myriadas, Interdicti ſui cauterio, à myſtico Chriſti corpore reſecare, diriſque devovere: hanc unam ob cauſſam, quòd acciſis obſcenarum volucrum, opulentiſſimas quotidie hæreditates inuncantium, unguibus; reciſiſque de Reipublicæ hujus corpore, nocentiſſimis ſicariorum, magorum, & veneficorum ſtrumis ac vomicis, læſi Numinis iram placādam, bonorumq; civium ſaluti & incolumitati conſulēdum eſſe duximus! Quid tu hîc, facunde nepos Atlantis? quónam ſchemate perſuadès; nullum eſſe immanius ſcelus, quàm immania iſta ſcelera vindicare?

Dic aliquem, ſodes; dic Quintiliane colorem.

Nempe adeò omnem hîc tibi pudorem expe-

expectorat Cotytto; ut Paulum Apoſtolum Paulo V. Apoſtatæ hyperaſpiſten adhibere non dubites; eò quòd neget ille, licere cuiquam judicare alienum ſervum, domino ſuo ſtantem aut cadentem. Atque ut oſtendas, non DEUM OPT. MAX. quemadmodum putabat Apoſtolus; ſed Romanum Dictatorem, pro Domino illo habendum eſſe: ex Iſaiâ inſuper probas, nos, Salmoneo illi *ἀντιβροντᾷν* auſos, Luciferum imitari; quandoquidem Papæ obſtrigillare, nihil aliud ſit, quàm ſupra ipſius Altiſſimi ſolium aſcendere velle, & primario illi vineæ Domino (is tibi eſt Papa) de poſſeſſione ſuâ controverſiam movere. Atque hoc pacto, Baroni, *φυσᾷς οὐ μικροῖς αὐλίσκοις ἔτι, ἀλλ᾽ ἀγρίαις φύσαισι, φορβειᾶς ἄτερ.* Tom. 9. ann. 745. §. 48.

Sed fuſo jam, per ipſos Epiſcopos, Epiſcoporum tuorum cornu; non magnus erat labor, Imperatorum, pro Beſtiâ illâ, cui ſeptem capita, & decem cornua, in altero cornu præliantium aciem, per ſuccenturiatos Imperatores profligare. Nam ut omittamus Aurelianum; cujus, quàmvis Ethnici Imperatoris, auxilium nō aſpernata eſt Eccleſia, in deturbando Paulo, de Samoſatenſi Epiſcopatu: quis neſcit judices à Conſtantino datos, qui Athanaſii, ab Iſchyrâ de homicidio calūnioſè accuſati, cauſſam cognoſcerent? ne quid Theod. l. 5. c. 27.

Athan. apol. 2. de toties vexato Cæciliani judicio addamus: cui hiſtoriæ, ut omnes ex abyſſi puteo erumpentes nebulas obducas; nunquam tamen efficies, quin liquidò pateat, non fuiſſe eâ tempeſtate ab Imperatoris foro, & jurisdictione alienam cauſſarum Eccleſiaſticarum cognitionem: alioqui non ſinè turpiſſimâ aſſentationis notâ, Romanus Epiſcopus Melchiades, judices, & collegas, quos ſuopte jure & arbitratu legere poterat, à Conſtantino ſibi adjungi paſſus fuiſſet; nec proditæ dignitatis, aut libertatis Eccleſiaſticæ crimen effugiſſet, cùm poſt ſententiam in Donatiſtas latam, aliud judicium à Conſtantino cōſtitui, eandemque cauſſam iterum cognoſci, tam æquo animo tulit. *Euſeb. l. 10. Aug. ep. 162.*

Negas, Baroni, licere Principibus ullas omnino, de rebus ad Eccleſiam pertinentibus, leges, quantúmvis utiles Eccleſiæ, condere. Damnas igitur, refigisq; leges, à Conſtantino latas, de bonis Eccleſiæ; de immunitate Clericorum; de feriando die Dominico; de inſtaurandis ædibus ſacris; aliasq; id genus non paucas, etiam in Annales tuos relatas, ſummisq; laudibus inibi elatas? An eodem eas loco habes, quo ejusdem Imp. Reſcriptum ad Maximum Præfectum urbis, de conſulendis Aruſpicibus? quod in Cod. Theodoſ. hodieq; exſtat: & meritò quidem à Sal- *An. 312. §. 88. 89. an. 321. §. 11. an. 324. §. 114. l. 3. Cod. de feriis. l. 6. de vero Iudic.*

à Salviano; abs te autem nullâ ratione reprehenditur: quandoquidem Pontificatum Maximum, ab iisdem Impp. Chriſtianis rectè uſurpatum fuiſſe, prolixè diſputas; quòd ad Imperatoriæ poteſtatis, & auctoritatis faſtigium pertinuerit hæc dignitas, ac tam arcto nexu eidem fuerit conjuncta, ut Imperator eſſe non poſſet, qui non ſimul eſſet Pont. Max. & Gratianus, qui primus hujus magiſtratus inſignia, tanquam prioris Beſtiæ characterem, averſatus eſt, hanc ob cauſſam imperio ſimul & vitâ exſutus fuerit; ac, cùm nollet appellari Pontifex, Maximus ſit factus Pontifex. Hoc quoque valde improvidè effutiiſſe; & Impp. Chriſtianis, ut Romanum Diotrephem in ordinem cogant, hortator eſſe videri poteras: niſi poſterior illa Beſtia priorem, ut deformes illæ Pharaonis vaccæ opimas, propemodum devorâſſet; certè ita alas ei intervulſit, ita exſorbuit ejus ubera hic Caprimulgus; ut nihil niſi μονόγραμμον quoddam, ac σκιλειῶδες Imperii ſimulacrum ſuperſit: nec vereatur Papa, poſtquam vorato ſerpente illo, factus eſt Draco; ne quis Imperator audeat Cæſarem agere, conjunctoque cum Imperio Pontificatu,

——majores pennas extendere nido.

Olim tempus fuit, cùm non liceret Papæ, ne Romæ quidem, templum occupare; niſi

Tom. 3. ann. 312. §. 98. & ſeqq.

Zoſim. l. 4.

precariò, permiſſuque Imperatoris: quemadmodum de Pantheo, Bonifacio IV. à Phocâ conceſſo, Beda, Regino, & Mantuanus diſertè adfirmant. Quámvis enim Papæ denupſiſſet, jamque in viri domum deducta eſſet Helena illa Oecumenica,

Cujus virginitas mille petita procis:

Ille tamen, ſive ignarus adhuc dotis, quam attulerat nova nupta; ſive jus illud de omnibus pro arbitrio ſtatuendi, & quidlibet audendi, ad parapherna ejus pertinere ratus; ſive denique inceſtuoſi hujus matrimonii pararium Phocam, adhuc ſpirantem, necdum culleo, quem meruerat, inſutum veritus; verecundiùs initiò agebat. tum ipſa etjam ſponſa, nō ſimul omnem cum flammeo pudorem deponebat; nec totam ſe viſendam præbebat: metuens, ne, ſi τὰ ἀνακαλυπτήρια feſtinantiùs, aut acerbiùs exegiſſet, Beſtiæ illius Apocalypticę aliquod γνώρισμα, in mundi, nondum prorſus excæcati, oculos incurreret; non immemor, quàm ſeverè, ante annos non ita multos, Imperatores, eorúque præfecti vindicâſſent ſcelera & flagitia: non ſolùm in minutis Clericis & tironibus; verùm etiam in veteranis Epiſcopis. cujus rei locupletiſſimus eſt teſtis Baronius, eam ex probatis hiſtoricis copioſè referens in

Anna-

Annalibus ſuis; ubi & ſanctionem Juſtiniani inſerit, & ex Glicâ, & Cedreno iſta ſubjicit: *Cùm reperti eſſent quidam illicitis utentes amplexibus, tanquã in triumpho per urbem, veretris priùs amputatis, ducti ſunt. Horum in numero quidã magnates, & Pontifices erant: qui hoc modo circumducti, vitã miſerè finiebant.* Item: *Anno ſecundo, Iſaias Rhodi, & Alexander Dioſpolis Thraciæ Epiſcopi, aliiq; multi, deprehenſi ſunt maſculorum corruptores. Horum aliis veretrum amputari juſſit Imperator; aliis calamos acutos in meatus genitalium inſeri, eosq; nudos in forum, quaſi in triumpho, produci. Fuerunt & civium ac Senatorũ multitudo, &* PONTIFICUM SUMMORUM *non pauca, in eâdem culpâ; qui caſtrati, & publicè nudi in forum producti, miſerabiliter perierunt, ſuoq; exemplo reliquos pudicitiam colere docuerũt. Tulit Juſtinianus acres leges cõtra impudicos, &c.* quas magnæ Meretrici iniquiſſimas videri; eamque propterea, derogando, obrogãdo & abrogando tumultuari ac bacchari, quis miretur hoc tempore, quo jam ad acroterium eductã videmus Turrim Babylonicam? Mirati fortean fuiſſent olim Epiſcopi illi Ægypti, qui per ſupplicem libellum petierunt ab Imp. ut nefarias Timothei Æluri fraudes, & ſcelera, quibus ſedem Alexandrinam invaſerat, coërceret; eoq; dejecto, alium Epiſcopum creari juberet. Miratus fuiſſet ipſemet

Tom. 7. ann. 558. § 5.

Niceph. l. 14. c. 19.

Leo I. Epiſcopus Romanus, à Leone Imp. precibus poſtulans, ut in Epiſcopos, officio ſuo indignos animadverteret. Mirati fuiſſent auctores Canonum, *C. XI. q. 1. Can. Si quis ſacerdotum. Can. petimus. Can. iſtud eſt. Can. Te quidem. Can. ſtatuimus. &c.* qui cùm in illâ Gratiani farragine, primâ Juris Pontificii parte, hodieque legantur: manifeſtum eſt, Pontificem nec Deum, nec homines, nec ſe-ipſum audire.

Epiſt. 57.

Quòd ſi quis hîc producat bonum illum ſenem Sylvanum, Troadis Epiſcopum; cauſſarum cognitionem, & judicia, à Clero in Laicos rejicientem: præ ſenio delirâſſe eum dices, Baroni, atque è Thraciâ, non in Phrygiam, ſed Anticyram deportandum fuiſſe: quòd dignitatem Eccleſiæ inſuper habens, non potiùs Petri naviculam, in hoc longè quęſtuoſiſſimum controverſiarum, & litium pelagus deduxerit; quàm navem illam onerariam, in littore Trojano obhæreſcentem. Ecquid enim Sylvanus, revulſo, depulſoque precibus dæmone, qui inſtar remoræ adfixus, navem retinebat, indè lucri fecit; præter inanem & jejunam miraculi famam, quam Eccleſia Romana, etiam trunco ficulno conciliat, ſicubi

Niceph. l. 14. c. 89.

—— *doloſi ſpes adfulſerit nummi?*

quaſi verò navem in mare deduxiſſe, eximiũ,

&

& Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis conſignandum ſit κατόρθωμα! cùm, priusquàm longa illa, atque illunis ſuperiorum ſeculorum rareſceret nox,

Involvens umbrâ magnâ, terramq́, polumq́,
Pontificumq́ dolos; ———

viliſſimi ſæpe Monachi, aliquot hominum mortuorum manipulos, direpto Orci peculio, cis Acherunta, παλινόρσους ἐξ ᾅδου, reduxerint tam facilè, quàm vulpes pyrum comeſt. Sed ne nunc quidem Synagogæ veſtræ vis τερατουργικὴ exaruit: cùm apud Indos, tot tantaque miraculorum portenta patrentur; ut illis in Europam vehendis non ſufficiat navis illa Sylvani, quámvis ἑκατόνζυγος. Sed hæc apud Japonenſes viſuntur, ultra Indum & Gangen; neque enim ubique Rhodus: Bonæ ſpei caput deſerant oportet, & à tergo relinquant, horum myſteriorum potius, quàm miraculorum Epoptæ. Nam ſicubi cis Herculis columnas tale quippiam tentatur;

Tum verò manifeſta fides, Danaumq́ pateſcunt
Inſidiæ. ———

De cæteris Impp. qui tibi agmen claudunt, non eſt quod laboremus. Etenim cùm Conſtantinos, Theodoſios, Juſtinianos, alioſque Impp. quorum multæ ac præclaræ de rebus Eccleſiaſticis exſtant ſanctio-

nes, vobis objicimus: vociferatur ſodalis tuus Bellarminus, eos poteſtatis ſuæ metas exceſſiſſe. Quídni nobis regerere liceat; Baſilium Macedonem, quem veluti Gorgona nobis obvertis, idolis illis, quæ colebat, & tantâ contentione propugnabat, ſimilem factum, poteſtatis ſuæ vim turpiter pignorâſſe? Imperatorem, an calonem ſe putat; q ſcapulas ſuas, qui genas, qui oculos, ac verticem ſuum ab Epiſcopis calcari petit? Eâ tempeſtate pleroſque Chriſtiani orbis proceres, illa, non Solis, ſed terræ filia

Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum:

ut pauciſſimi vix homines ſe, nedum liberos, aut Principes eſſe meminiſsent. Unus in Galliâ Philippus Pulcher, reliquis fatali ignaviâ torpentibus, novam illam Chimæram, ex Vulpe, Leone, & Cane conflatam, adoriri auſus; immortale ſibi decus, Belliqueſcu potiùs Bellerophontis, cognomentum peperit:

——ſolus data pocula fugit;
Quæ niſi vitâſſet, pecoris pars magna fuiſſet
Setigeri. ——

Hoc pulcherrimum Pulcherrimi Regis facinus in Bonifacium VIII. quia cum Ludovico XII. imitari cœpit Reſp. noſtra; delirare tibi videtur, Baroni: præclarè ſcilicet olim ſapere viſa, cùm in Fr. Dandulo, oratore ſuo,

ſuo, ferreâ catenâ collo injectâ, ad demen-
tis Clementis menſam, in morem canis pro-
ſtrata, calcandam ſe præberet; immaniſſi-
míque Tyranni, cujus furiali edicto, pro-
miſcuis omnium hominum gladiis objecta
fuerat, inclementiam, turpiſſimâ hac abje-
ctione placaret. cujus amentiam cùm hodie
imitetur Paulus V. in proſcribendâ Repu-
blicâ noſtrâ; lusq; déq; habet ejusdem Clĕ- *Pet. Iuſt. hiſt. Venet. lib. 4.*
mentis reſcriptum, quo ſanxit, ne poſthac
ulli Pontifici ejusmodi fulmen in Venetos
ejaculari liceret: quamobrem

——fragili quærens illidere fulmen
Offendit ſolido.——

Ac bona ſpes nos habet, fore, ut, quod olim
Meroës ſacerdotibus contigit, propediem
accidat Romanis. Illorum tanta erat aucto- *Strab. l. 17.*
ritas, & potentia, ut nonnunquam miſſo
nuntio mortem imperarent Regi; aut de-
turbato eo, alium pro arbitrio ſufficerent:
donec exortus eſt Rex, qui irruens in aure-
um ipſorum fanum, jugulatis crudeliſſimis
& perfidioſiſſimis latronibus, regiam digni-
tatem vindicavit. Verùm enimverò, Baro-
ni, CIↃ. CC. annorum ætate, Remp. noſtrâ
mente motam putas: quid, obſecro, niſi de-
lira anus, & fatua quædam Fauna jam erit
Synagoga veſtra, quadringentis fermè an-
nis Rep. noſtrâ vetuſtior;

———*ſi qua fides augentibus omnia Muſis?*

Si paucorum annorum Alcedonia, ſub Philippis, Eccleſiaſticæ diſciplinę vigorem, te-ipſo teſte, penitus enervârunt & corruperunt: quàm fœdum ulcus enatum putabimus, ex luxu tot ſeculorum, quibus magna Meretrix, ut Moab, *deſedit ſuper fæces ſuas inconcuſſa, neque transfuſa eſt de vaſe in vas*: ſuaviter cantillans; Sedeo regina, nec ſum vidua, nec luctum videbo.

Ann. 253. § 5.

Ierem. 48. *v.* 11.

Apoc. 18. *v.* 7

Sum felix: quis enim neget hoc? felixq; manebo:
Hoc quoq; quis dubitet? tutam me copia fecit:
Major ſum, quàm cui poſſit fortuna nocere.

Serm. de lapſ.

Si aureo illo Cypriani ſeculo, Epiſcopi, ut ipſe queritur, *quos & hortamento cæteris oportet eſſe, & exemplo, viſi ſunt, divinâ procuratione contemptâ, procuratores rerum ſecularium fieri; derelictâ cathedrâ, plebe deſertâ, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari; eſurientibus in Eccleſiâ fratribus non ſubvenire; habere argentum largiter velle;* FUNDOS INSIDIOSIS FRAUDIBUS RAPERE; *uſuris multiplicantibus fœnus augere, &c.* Si in cunis adhuc vagiens Clerus, tam conſpicua luxatæ mentis ſigna præ ſe tulit: quis vel elephanti corio circumtectus, non ſentiat, non exhorreſcat Synagogæ veſtræ furorem, in altiſſimo illo divitiarum ac vitiorum gurgite, inexplebilique avaritiæ Oceano debacchantem?

tem? ſiquidem Cypriani temporibus, tot in ſimpulo fluctus excitari potuerunt. Inſanire tamen tibi videmur: non aliam ob cauſſam, niſi quia inſanire deſivimus, & inſanabilem Cleri veſtri inſaniam tandem aliquando coarguere cœpimus.

O major tandem parcas inſane minori!
Danda tuo Ellebori eſt multo pars maxima
Clero:
Neſcio an Anticyram ratio illi deſtinet omnem.

Certè non nunc primùm Sapientia Dei ſtultis eſt inſania. Sicuti nos Paulo Pontifici, orbis incendiario: ita Paulus ille gentium Doctor, inſanire videbatur Feſto, Judæę procuratori, aut potiùs prædatori; qui cùm Pontificem Maximum (is tum erat Nero) coleret, non poterat non contemnere Chriſtum crucifixum: qui Chriſti habitus, non minùs tibi, quàm illi diſplicet; quandoquidem antiqui illius, & antiquati Pontificis Maximi ſucceſſorem, id eſt, lapidem è ſepulchro, veneraris pro Deo. Quamobrem & dulciſſimum illud Chriſti cognomentum ſectæ veſtræ ſordet; ut-ut ſacro-ſancto Jeſu nomine, tanquam peripetaſmate quodam, inſaniæ veſtræ ſcenam tegatis. Sed nos quidem hujus amentiæ ſuavitatem tibi minimè invidemus; neque, ut Argivi illius cognati, hāc voluptatem elleboro tibi extorquere, &

Actor. 26. v. 24.

gratiſſimum mentis errorem vi eripere ſatagimus: haud ignari, non eſſe Cardinalis, ſapere, & ringi. Veruntamen te viciſſim, quē-

2. Co. 11. v. 1. admodum Paulus Corinthios, oramus, ut inſaniam noſtram toleres; nec indignari pergas, eò quòd nunc (ſit laus Deo OPT. MAX.)

Tarpejam rupem, & puteum vitamus abyſſi.

Quin-etiam, ut majorem dehinc ex amentiâ tuâ capias voluptatem, & ſuaviùs inſanias, ſuademus; ut à ſacris literis manum abſtineas, & paræneſeon tuarum ſerta, ex fragrantibus illis Roſariorum, Legendarum, & Conformitatum B. Franciſci floſculis, tâ quam Adonidis hortis, potiùs, quàm ex inamœnis, & aſperis Scripturæ ſenticetis, contexas. Nam quid cani cum balneo? ſui cum amaracino? Suitæ, & Cardinali cum Scripturâ? Longè alia Cyprio bovi danda eſt merenda. Itáne excidit tibi, hunc eſſe librum illum hæreticorum; neque in ſe perfectum, neque alios perficientem, aut ſufficientem; neq; aliud quicquam, præter ſchiſmata, hæreſes, ac turbas gignentem? quicquid olim

2. Tim. 3. v. 17. ſenſerit is, qui hominem Dei à Scripturâ perfici, perfectéq; ad omne opus bonum inſtrui, ſcripſit. Mulcebat hæc cantilena intactam adhuc ab Antichriſto Eccleſiam; quo tempore viſebatur

Nuda

Nuda humeros, intonſa comas, exſerta lacertos.
Hæc dies aliam vitam, alios mores poſtulat. Exquiſitiore apparatu vincenda ſunt faſtidia hujus ſeculi,

——tangentis malè ſingula dente ſuperbo.

Quomodo enim ea ipſa Scriptura impleretur: niſi gravis ille, ſeveræq; matronæ habitus, quo priſcorum Patrum ævo contenta Eccleſia, pigmenta & lenocinia, omnemq; exoticum cultum reſpuebat, in meretriciũ degenerâſſet? aut quomodo ex ſterili Scripturâ demonſtraretur auguſtiſſima hujus Hierarchiæ, ex Angelicę ſcilicet typo expreſſæ, facies; buccæ minio, ac ceruſsâ fluentes; vulſa ſupercilia; capillus calamiſtris intortus?

ὥϛε προσωπεῖον, κ᾽ οὐχὶ πρόσωπον ἔχειν.

Unde, niſi ex Traditionũ πατροπαραδότων, id eſt, ex Egeriæ ſinu, aut Carmentæ myrothecio, promi poterant, cuculli, roſaria, globuli preculares, grana conſecrata, vela Veſtalium ἑλκεσιπέπλων, horę canonicæ, aniverſaria manium καθάρματα, miſſarum ſolemnia, indulgentiarum diplomata, ſuffragia pro defunctis, ſuffumigia pro vivis, aqua februa, ciborum, veſtium, dierũ diſcrimina, ſtigmata Franciſci, peregrinationes ad ſtatuas, tabellæ votivæ, αὐτοπληξίαι, χαμευνίαι, σακκοφορεῖαι, zonę ſcortec̨, calcei fene-

ſtrati, detonſi crines, nodoſi funes, purpurei galeri, triplices tiaræ, infulæ bicornes, litui quirinales; reliquumque Romani Theatri, in quo perpetua agitantur Quirinalia, choragium?

Somnia, terrores magici, miracula, ſagæ,
Nocturni lemures, portentaque Theſſala.——

Hæc enim ferè ſunt emblemata illa, & πολυποικίλων nugarum verſicolores teſſellæ; quibus Myſtagogi & Hierophantę Eccleſię Romanæ, id eſt, mangones, lenones, & cinifloneſ illi, magnæ Meretricis mundum inſtruunt: eaque omnia ementitæ vetuſtatis, aut fuco pingunt, aut glutine cõpingunt, veteramentarii iſti Gabaonitæ, novique Palæphati, tam ſcitè atque ingenioſè; quaſi quæ hodie fulget Eccleſia,

——*ſublimibus alta columnis,*
Clara micãte auro, flammaſque imitante Pyropo;
Hîc ubi purpureâ velatus veſte Sacerdos,
Conſidet in ſolio, nitidis lucente Smaragdis;

jam olim, non in humili tuguriolo, aut hypogeo; ſed in Lateranenſi Palatio, ipſoque Auguſtali educata fuiſſet,

Et ſegmentatis dormiſſet parvula cunis.

Nunquam certè tam patulis auribus, tam credulis mentibus ſuſcepta fuiſſent tot inſulſa

ſulſa putidaque commenta: niſi, exploſâ ex Eccleſiæ veſtræ Theatro S. Scripturâ, ἄγραφος illa Pandora, ex Philoſophorum argutiis, Rabbinorum quisquiliis, Canonum ἀκανονίστων fecibus, Decretorum paleis, Decretalium ſtercoribus, Scholaſticorum tricis, Monachorum offuciis, Melancholicorum ſomniis, (καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν) conflata, ac conferruminata, in Orcheſtram prodiiſſet. Non aliunde majoribus noſtris obvenêre Vexilla, Sella Ducis aurata, Tubæ argenteæ, id eſt, nugæ canoræ, quibus inexhauſta hujus Pandoræ pyxis ſcatet. Indidem procul dubio, tu quoque Baroni, hauſiſti carmen illud; quo ἀμαξιαίων Annalium tuorum ἀπεραντολογίαν interjungens, Beatam Virginem è cœlo in thalamum tuum devocas, ut tanquam nova quædam Abiſag, præmortui pudoris potiùs, quàm caloris pectus tuum foveat. *In perorat. Tomi XI.* In ejusdem Sibyllæ foliis legeras, informem urſum, à Carolo Magno, in venatione fatigatum, ſacrarum reliquiarum, ad quas, gnarus Theologiæ veſtræ, ſupplicantis ritu procubuerat, tutelari patrocinio defenſum, infeſtam canum ac Venatorum vim vitâſſe; atque exinde beneficii hujus memorem, exſuto ferino ingenio, fortean & induto cucullo, apud ſacras loci illius virgines hæſiſſe, iisque dicto audientem fuiſſe. *Tom. 9. ann. 805. §. 3.*

Atque hujusmodi næniis, & Alcinoi apologis adeò turget Annalium tuorum ἐτώσιον ἄχθος: ut, niſi ei circumlambendo, urſum aliquem, non minùs judicioſum, quàm ille fuit ſuperſtitioſus, adhibueris; & Timæis, & Cæſariis, & ſi quis alius olim fuit, aut nuper natus eſt muſteus χραοσυλλεκτείας, ei de nugandi principatu controverſiam facturus videaris: quaſi iſtâ tuâ πολυγραφί, καὶ ἀπολυῤῥαφίᾳ te effecturũ ſperes, ne poſthac baptiſati Leonis fabulam pro fabulâ, cum Hieronymo, habeamus; cùm urſum Monachiſmo, qui veſtris Theologis alter eſt baptiſmus, initiatum apud te legimus. quod quidem haud gravatè credimus: quandoquidem tot beſtiarum, quibusvis urſis & leonibus efferatiorum, agmina, in Cœnobiorum veſtrorum ſeptis, tanquam inverſos quosdam Apulejos, ſtabulari videmus. Nam ut ille ſub aſini figurâ hominem tegebat, ac philoſophum; ſic humanitatis & ſanctimonię in Monachis larva occultat aſinos: quos tamen non ſecùs, ac Angelos, ſuſpicere ac venerari jubet hæc Pandora,

Catal. Eccl. Scr. in Luca.

αἰγιόχου βουλῇσι Διὸς νεφεληγερέταο.

Tam fœcunda huic Virgini ubera, atque etjam, quæ ex tonitribus naſcuntur, tubera: ut & illorum lacte magna mater, Eccleſia Romana, affatim alatur; & iſtorum veneno hæretici,

Plin. l.13.c.3.

retici, tanquam peſtilenti quadam aurâ adflati, ac ſiderati, enecentur. Longè omnibus Prophetis, Apoſtolis, & Evangeliſtis altior hæc Nympha

Incedit; colloq; tenus ſupereminet omnes,
Immanis veluti pecora inter inertia Tigris.

Hæc demum eſt Suada illa, non quæ in Periclis labris ſeſſitans, ſolam Greciam commovebat; ſed quæ ex Pontificii pectoris ſcrinio, tanquam armata quædam Minerva ex Jovis cerebro, exſiliens, univerſum terrarum orbem fulgurando, & tonando concuſſit, ac tremefecit. Valde medius-fidius mirati ſumus; cùm audivimus, Cottonem quendam, de Suitarum tuorum grege, Pontificis in Galliâ Corycæum, in celebri illo ſuo cum Cacodæmone colloquio, quod ad ſempiternam rei memoriam literis conſignandum duxit, inter cætera ſciſcitatum fuiſſe: quo potiſſimùm Scripturæ loco Purgatorium contineretur? quod non ſinè Pandoræ hujus contumeliâ, fuſtuario dignâ, ab eo factum. quaſi verò ſubleſto Scripturæ tibicine fulcienda ſit Traditio! & non potiùs corruat Scriptura, ni Traditionis baſi ſtatuminetur! Num, quæſo, ex Scripturâ perſuaſus fuit Chriſtophorus Longolius; ut, depoſito civis Romani nominè, abdicatoq;

Tullianæ eloquentiæ choragio, glorioſius exiſtimaret, in Franciſcano cucullo, quàm in Romanâ togâ, aut etiam Imperatorio paludamento, ad generum Cereris deſcendere, & in Stygii carceris Tulliano, adversùs Lutheranos declamare? Certè Rudolphus Agricola, hoc expiandis peccatis, placandisque manibus inventum, non magis in Scripturâ, quàm in libris ſuis de Inventione inveniſſet. Sed nec alia, quàm Traditionis fax, Alberto Carporum Principi alluxit; cùm nefas putaret, alio ornatu Dominam in Ditis thalamo ſalutare. Quid aliud, quàm Cucullum, tam eruditis viris viſus eſt commendâſſe Homerus his verſibus:

τούτου δ' ἑσπομένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο
ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ περὶ οἶδε νοῆσαι.

Quocirca non abs re veremur, Baroni, ne Pontificiorum nationi caudam trahere videaris potiùs, quàm

Verrere humum Tyrio ſaturatâ murice pallâ;

cùm ex odorato illo Roſariorum & Legendarum nemore ἐξορχησάμενος, in alienum forum, chorumque irrumpis, atque iſto ex Scripturis conſarcinato centone, ad Legem & Teſtimonium nos vocas; ſermonem Cananæum, Anglicano, quem nobis exprobras,

bras, conventu, quàm Romano agyrtâ digniorem, uſurpans.

τέκτων γὰρ ὤν, οὐκ ἔπραττες ξυλουργικά.

Quin ſinis nos cum Anglis, aliiſque, qui Traditionum veſtrarum clathros perfregerunt, in hoc Scripturæ Xyſto, ad juſtitiæ Solem apricari? Inauſpicatum tibi hoc ſcamma; meliuſque Cantherius pugnet in foſsâ, quàm tu in hac arenâ. At quomodo Pontifici excuſabis: quòd, dum laqueis ex Scripturâ contortuplicatis nos ad ergaſtulum veſtrum retrahere moliris, idem juris Sanatibus quod Forctibus ſpondens; non aliud operę precium facis, niſi ut doceas nos, Chriſti, cum Satanâ certantis, exemplo, ejuſdem Scripturæ gladio, circumjectas abs te plagas diſſecare, ac perrumpere? An viſum eſt tibi, omiſſo pauliſper plumbeo Traditionis pugione, ancipitem illum S. Scripturæ gladium ſtringere: ut tanquam Homericus quidam Aſteropæus, utrumque, cùm uſus poſtulat, telum te tractare poſſe, & Cardinalis, quovis cardine verſatilius, & verſutius ingenium eſſe, oſtenderes? An interverſæ prædæ cura,

bis, tanquam novâ quadam cantilenâ, nobis inſidias ſtrueres: divinam vocem imitatus, quemadmodum hyæna effingit humanam; quâ nos evocatos, & in naſſam tuam illectos, Romano Polyphemo laniandos tradas? An denique, ut nullum in veſtrâ Eccleſiâ tam thymelicum celebratur acroama, nullus tam monſtroſus pingitur Tragelaphus; cui fucando, Durandus in Rationali ſuo cum ratione inſaniens, non aliquem colorem ex Scripturâ, vel fidiculis exprimat: ſic tu ex eâdem Scripturâ deinceps te probaturum confidis, rectè atque ordine feciſſe Henricos, Fridericos, Dandulos, alioſque, cùm ad pedes, imò infra pedes bipedum nequiſſimi ac ſuperbiſſimi ſe-ſe abjecerunt; nec minùs licuiſſe huic ſervo ſervorum, Principes Chriſtianos climacidum loco habere, quàm Sapori Valerianum, Tamerlani Bajazethum? Apage hanc inſaniâ; & meſſem hanc ex Scripturæ arvo, in quo nulla talis unquam facta eſt ſementis, ſperare deſine. Delphinũ ſilvis appingis; cùm Prophetas, & Apoſtolos Papę adjungis, tamq; immani Coloſſo τῶν πυγμαίων ἀκροθίνια ἐφαρμόζεις.

Non tali auxilio nec defenſoribus iſtis
Tempus eges.———

Lindanus Panopl. l. 2. c. 5. l. 2. c. 9.

An oblitus es, Traditiones non-ſcriptas eſſe illud μῶλυ, quo ille Pontificii Cœli Vulcanus,

canus, panopliæ veſtræ faber, fidem Romanam à Scripturæ faſcino vindicari clamat? Alibi Ajacis clypeum vocat. Hujus igitur umbonis umbrâ te, tuosque tege; obnoxiū habiturus, ut teſtudo, quicquid extra hanc teſtam exſerueris. *l. 2. c. 9.*

Sed nec Patres nobis judices ferre, tibi decorum: quibus, tanquā ſexagenariis de ponte dejectis, ſuffragii jus ademiſti. Ita enim in annalibus tuis eos ἐκφυλλοφορεῖσθαι videmus. *Sanctiſſimos Patres, quos Doctores Eccleſiæ, ob illorum ſublimem eruditionem, meritò nominamus, quantumlibet eâ Spiritus Sancti gratiâ præ cæteris imbutos eſſe liqueat; in interpretatione Scripturæ, non ſemper, ac in omnibus, Catholica Eccleſia ſequitur.* Nempe, quia, ut monebat Cardinalis Cuſanus, exponenda eſt Scriptura *ad ſenſum currentem.* quemadmodum & Duacenſis Academia fatetur: *novos Catholicos, in veteribus Catholicis, plurimos ferre errores, & extenuare, excuſare, excogitato commento perſæpe negare, & commodum iis ſenſum adfingere; dum opponuntur in diſputationibus, aut in conflictionibus cum adverſariis.* Cujus technæ perbellum inibi ſubjicit ſpecimen, in detorquendâ, & depravandâ ſententiâ Bertrami de Euchari-

Tom. 1. ann. 34. §. 213.

Epiſt. ad Boh.

Index Expurgat. pag. 5.

Verùm enimverò, ſive ex Patrum laciniis Paræneſeos tuæ tegetem conſuas, ſive Scripturæ purpuram pannis tuis adſuas; idem planè agis, quod de Gnoſticis ſcribit Irenæus: quos oppidò quàm venuſtè comparat cum iis, qui Regiæ imaginis compagem, ex ſelectiſſimis gemmis coagmentatam, ſolvunt, ſolutasque partes, in canis, aut vulpeculæ figuram aptant, vulgoque perſuaſum volunt, eandem hanc eſſe imaginem Regis, quam primus artifex formavit: propterea quòd ex iisdem gemmis conſtat. Proinde rurſus monemus; ut, Antichriſti mancipium frugi cùm ſis, decretis ipſius contentus, Chriſti leges miſſas facias; tuique Dionyſii ſputa, paraſitis ipſius quovis nectare ſuaviora, lingas: ac paræneticos tuos, ſeu phreneticos cinnos concinnes miſceasq; dehinc, nō ex Iſaiâ, vel Paulo; ne ex Auguſtino quidem, aut Ambroſio; ſed ex cognomine tuo *Ceſario, Holcotto, Bricotto, Barbato, Bareleta, Delira, vel Deliro, de Bacchone, de Voragine, de Tarantesſia, de Andernario, de Aquaſponta, de Vrimaria*, & aliis, quorum φλεγμαίνοντα

Nomina, ſunt ipſo penè timenda ſono.

Hiſce triariis, extra omnium Indicum expurgatoriorum aleam conſtitutis, inclinata acies reſtituenda: his Philoctetæ ſagittis

lib. 1. c. 1.

Luthe-

Lutheranorum Troja tibi expugnanda eſt. Nam ut olim Julius Cæſar, in conſulatu ſuo, aurum è Capitolio furatus, tantundem æris inaurati repoſuit: Sic Romanus Parepiſcopus, Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis è Chriſtianorum manibus excuſſis, atque adeò de pectoribus revulſis, hujusmodi ſcoriam iisdem obtruſit. At verò,

Si nullam expertus ſumtis ſpem ponis in armis:

agè Baroni, ut dignum Barone, dignum Cæſare eſt; pro Babylone tuâ, pro magnâ meretrice, pro aris & focis; aut, ſi mavis, pro Beſtiæ illius haris & foricis, tè devove; cinctuque Gabino incinctus, ſolemne carmen præeunte Bellarmino, in Adriam, ut olim Empedocles in Ætnam, inſili; & quam conditi annales, ſeu potiùs defenſæ annates, tibi pepererunt lauream, hac Deciorum imitatione, tanquam decumano quodam lemniſco, exorna. Sequantur te, optatiſſimo ſyncretiſmo, ut Moyſen illum Cretenſem, omnia Synagogæ Romanæ κακὰ θηρία, γαϛέρες ἀργαί. Sed in-primis ranæ illæ Suiticæ; quibus Socr.l.7.c.36.

Quas ſuper ætherias errare licentiùs auras,
Haud Pater ille velit ſuperis regnator Olympi;
Sed merſæ ſub aquâ, ſub aquâ rabida arma coaxent.

2. Pet. 2. v. 10 Sic ubi ſublati fuerint hi, *qui dominatum deſpiciunt, audaces, ſibi placentes, nec horrent dignitates conviciis inceſſere; qui, veluti animantia rationis expertia, quæ naturali impetu feruntur, facta ad eum finem, ut capta intereant, ea vituperantes quæ ignorant, nubes aquâ carentes, ventis circumactæ, arbores emarcidæ, infrugiferæ, bis* Iud. v. 12. *mortuæ, eradicatæ, undæ maris efferatæ, deſpumantes ſua ipſorum dedecora, ſtellæ erraticæ, quibus caligo tenebrarum in æternum ſervata eſt*: Ubi inflammatæ, inflammanteſque teterrimorum orbis Chriſtiani incendiariorum conciones, & ſycophantici clamores conticuerint: ponent venti; detumeſcent fluctus; nullæ amplius bellorum faces, & malleoli ſeditionũ nos circumvolitabunt: Redibit honos ſuus Chriſto; Eccleſiæ religio; tranquillitas Reipublicæ; dignitas Dignitatibus ſeu Principibus; obſequium ſubditis; pax & concordia univerſo orbi:

——— diræ ferro, & compagibus arctis
Claudentur Belli portæ; P A P A impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

In hoc

In hoc omine reſponſionem hanc claudimus; quam crebrioribus exoticorum & profanorum poëtarum verſiculis, quàm ſacrorum Prophetarum teſtimoniis vermiculatam tibi exhibemus: tum, quia gratiora vobis Cardinalibus profana, quàm ſacra; (hęc enim ad morem; illa ad rem pertinere putatis:) tum ne longè quærendum carmen, quo te pro re Romanâ devoveas. Sed & præſtò ſunt iſthîc Metuſiaſtæ, & Enthuſiaſtæ: quorum levi, lenique ſibilo, profana hęc carmina mutentur in ſacra, aut ſaltem in fanatica. Cùm enim veriſſimè abs te ſcriptum ſit, Gentilitiæ ſuperſtitionis inſtituta, à majoribus veſtris ad Chriſtianam Religionem translata fuiſſe; & Diotrephes ille, Paulus V. mirificè geſtiat, novo, ac herculeo quopiam facinore inclaróſcere, optetque cum Caligulâ Pontificatum ſuum publicâ aliquâ calamitate inſigniri: non alienum ab Herculanâ ipſâ, quâ prurit, ſcabie putamus; ſi, ut Apoſtaticæ, quam inſedit, Cathedræ, antiquâ Soldùriorum lege ſe-ſe devotum oſtendat, hunc ſui-ipſius devovendi ritum, ex refoſſo Ethniciſmi ſepulchro erutum, in Eccleſiâ

Tom. 2. ann. 200. §. 5.

Caſ. l. 3.

triam caritatis laudem, priſcis illis idololatris diutiùs relinquat; ſed injuſtis poſſeſſoribus ereptam, ſibi tandem aliquando, ut par eſt, vindicet. Tu verò, Baroni, inter hujus Caliphæ Ambactos, clientesq́; non poſtremus cùm ſis; nec ignores, hoſtilem exercitum ritè devoveri non poſſe, niſi vel ipſe Dux, vel alius ex legione Romanâ civis ſe-ſe unà devoveat: non dubitamus, quin, pro flagrantiſſimo tuo erga Dictatoris illius κεραυνοβόλου legionem (gemella hæc eſt ejus, cujus memi-
c.5. v.9. nit Marcus noſter) ſtudio ac zelo, jam impetum ceperis, in medios Adriæ fluctus irruendi. Atque hæc planè ſontica cauſſa religionem nobis incutit, quò minùs tibi vale dicamus: ne putes propoſitum eſſe nobis, tecum paria facere, imitariq́; Parænefeos tuæ monſtrum; ut ἀκέφαλον, imò κυνοκέφαλον; ſic μείουρον, aut potiùs μελάνουρον, nec ſalutem adferens, nec vale-dicens: quippe in quo μηδὲν ὑγιές. Veruntamen cùm cogitamus, quot, quantasq́; magnæ matris ſcortationum vomicas, & ulcera plusquàm Chironia, Annalium tuorum epithemate panchreſto ſanaveris, aut ſaltem velaveris: facere non poſſumus, quin te, ut novum Menecratem, jubeamus ὑγιαίνειν.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.